

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

34.

Flores
Aenigmatum latinorum.

Blumenlese
von
vierhundert lateinischen Räthseln,
Charaden, Logogriphen, Anagrammen und verschiedenen anderen Aufgaben, mit ihren Auflösungen.

Im Anhange
zweihundert Xenien.

Gesammelt
von
Dr. Wilhelm Binder,
Herausgeber der „Medulla Proverbiorum latinorum“.

Stuttgart.
Verlag der J. B. Metzler'schen Buchhandlung.
1857.

Druck der J. B. Metzler'schen Buchdruckerei in Stuttgart.

Vorwort.

Die günstige Aufnahme, welche dem kürzlich von mir herausgegebenen „Schatzkästlein lateinischer Sprichwörter" selbst über jene Kreise hinaus, für die dasselbe eigentlich berechnet war, zu Theil geworden, hat den genügenden Beweis geliefert, daß, unerachtet aller gegentheiligen Behauptungen, das Interesse für die philologische Unterhaltungsliteratur immer noch nicht erstorben ist; daß es überall noch Viele gibt, die den Errungenschaften der Schule auch durch die Wechsel des praktischen Lebens gerne eine freundliche Erinnerung bewahren. Durch diese Erfahrung ist denn auch die Herausgabe gegenwärtiger, ebenfalls schon seit Jahren von mir angelegter, Sammlung von lateinischen Räthseln und verwandten Aufgaben zur Uebung und Schärfung des Nachdenkens, zu meiner nicht geringen Freude schon jetzt ermöglicht worden; und wenn neben dem — freilich nicht immer leicht zu errathenden — Geschmacke des Publikums, auch dem Fleiße und der Mühe des Verfassers einiger Antheil an dem Erfolge eines literarischen Unternehmens gegönnt wird, so dürfte für die „**Flores**" kaum eine minder willkommene Aufnahme in Aussicht stehen, als die „**Medulla**" sie wirklich gefunden hat.

Für das dießmal bearbeitete Feld sind die Quellen schon an sich unendlich sparsamer vorhanden, als für das vorjährige, und diese wenigen waren nicht so leichthin flüssig zu machen, da sie sehr zerstreut und, mit alleiniger Ausnahme der Vogelsang'schen Sammlung (1810), die sich aber lediglich auf Charaden beschränkt, und der

Anthologie von Pauly (1818), der ich sechs Stücke verdanke, alles übrige Vorhandene schon 150—300 Jahre alt ist, so daß es nur erst nach sorgfältiger kritischer Behandlung für unsere Zeit und unsern Geschmack genießbar gemacht werden konnte. In dieser Beziehung habe ich es an Nichts fehlen lassen; namentlich aber die Latinität — und dieß gilt besonders von Vogelsang — durchgängig verbessert.

Es wäre zwecklos, ein halbes Hundert von Büchern und Büchlein, die ich für meinen Zweck aus dem Staube hervorgezogen, und die oft nur geringe Ausbeute lieferten, hier namentlich anzuführen; als Hauptquellen mögen indeß, neben den schon oben erwähnten, **Lauterbachii Aenigmata, Reusneri Aenigmatographia, Pincieri Aenigmatum Libri III, Lactantii Symposium, Grückleri Somnia insomnia** mit dankbarer Anerkennung genannt werden. Ueber die Quellen der vierten Abtheilung weiß ich am wenigsten Rechenschaft zu geben: das Meiste fand ich in meiner eigenen, schon seit vielen Jahren begonnenen und fortgesetzten philologischen Curiositätensammlung. — Die „Xenien" hätten ohne die mindeste Mühe ungleich launiger und pikanter ausfallen können, wenn nicht die Rücksicht auf das jugendliche Alter, für welches die Sammlung denn doch hauptsächlich berechnet ist, jede andere unbedingt überwogen hätte.

Stuttgart im Mai 1857.

Der Herausgeber.

Erste Abtheilung.

Aenigmata nominalia.

Worträthsel.

1.

Destituor pedibus; vox est mihi nulla; remotos
Ire tamen cogor dictaque ferre locos.

2.

Sum primum gradiendi impos, quadrupesque deinde,
Tum bipes, inde tripes; gressus videt ultima meta
Expertem, primus qualem quoque viderat ortus.

3.

Tota mihi teretem mentitur forma cylindrum,
Et foeta in medio sus mihi ventre latet.
Quam me Belga colit, tam me fastidit Apella;
Heu, quam dissimili spernor amorque fide!
Non mihi supplicium, non mors decernitur una:
Mergor aquis, flammis torreor, ore voror.

4.

Me radiis acies hominis penetravit acutis:
Lucida transmisi Phoebi Phoebique sororis
Spicula, nunc horum non sum penetrabilis ulli.
Obstat obex etenim, cujus vi missa repello
Tela, hominique suos mea monstrant aequora vultus
Ad vivum, et melius, quam possit reddere, vel qui
Lineolae tenuis tabulae super aequore ductu
Protogenem vicit, vel qui depinxerat uvam,
Illecebras volucrum, vel qui subtilia vela
Deceptura hominem jam se vicisse putavit.

5.

Auroram clara consuetus voce vocare,
  Post sua gavisus proelia victor ovat.
Non capiti cristae, pedibus calcaria desunt:
  Sola gulae rabies non sinit esse virum.
Non valeant ipsi contra illum stare leones,
  Ilicet infamis sed meminere fugae.

6.

Non bibor, et bibor, et populo sum potus et haud sum.
  Mandor ab occiduis, nec tamen esca fui.
Cum bibor, ipsa sitis crescit: sum victima vulgi;
  Torqueor, incidor, torreor, uror idem.
Consedere viri et, conspecto munere divûm,
  Quaelibet exitio dextra reperta meo.
Pars in frusta secant, pars igni humentia siccant
  Corpora, pars flammas admovet atque faces.
Otia qui fugiunt, in nobis otia perdunt,
  Et magna peragunt sedulitate nihil.
Quo capior, perdor, quo claudor, pellor ab ore,
  Nostraque mox difflat fercula, quisquis amat.

7.

Caesar gibbosum, Cynicus me ostentat aduncum,
Et vates de me nomina grandis habet.
Hac qui parte valent, credam magis esse sagaces:
Emunctum quisquis me volet, ille sapit.

8.

Hepher me genuit; me vivum sponte sepultum
Non humus aut saxum, non tegit urna gravis;
Et tamen immense premor hic, mersusque profundo,
Aurâ praeclusus Numen adoro pius.
Me servat vivus tumulus me jureque punit,
Quod me subduxi jussibus usque Dei.
Nuntius esse mali, quod non sit forte futurum,
Nolo progeniēi, cui Ninus auctor erat.
Ipse Dei servus, divo sum munere clarus,
Immemoresque Dei terreo voce sacra;
Hebraeique vocant timidam me forte columbam;
Quis sim divinans, nomen et omen habes.

9.

Adspice fatidicum, quin me mirare, poëtam,
Ad vada Maeandri cum cano dulce melos.
Induit ipse meos Orpheus et Flaccus honores,
Gaudet et augurio navita saepe meo.
Quin ego, purpureis frenatus colla capistris,
Lascivam Venerem per loca jussa traho.
Candida decrepitae similis mihi forma senectae est,
Sed dubito, num sit Lesbia candidior.

10.

Meque patremque meum mater tulit una: trucidat
Illa patrem; a patris funere nascor ego;

Nascuntur fratres et, dum sic crescimus, omnes
A genitrice parem lactis habemus opem.
Exigimus vitam simul, et mox segregat hostis,
Nostraque letifera corpora mole terit.
Quid nostra majus pietate, quid amplius? illi
Vitae, qui mersit nos nece, dona damus.

11.

Sum vere, at, quid sim, nemo describere novit,
De me qui loquitur plus, minus ille sapit.
Si quid agis, me egisse refers clamasque tyrannam,
Atque petis dira voce supinus opem.
Si sum, sum Dea. Quid duro male litigat ore
Servus? si non sum, stultitia ipsa tua est.

12.

Me genitrix mea quando parit, sum nescia vitae,
Et jaceo, veluti curâ viduata parentum.
Mox animor: quoniamqué pedum mihi nulla facultas,
Remigio seco stagna agilis natalia caudae.
Crura deinde mihi succrescere parva vìdebis,
Atque nates tremulae truncari appendice caudae.
Quaeque prius fueram carbonibus atrior ipsis,
Pisceque muta magis, traho nunc per membra colorem
Gramineum, et rauca facio convicia bucca
Cum sociis, ipsum qui vincere Stentora possint.
In terra salio, stagna invia sulco natatu,
Oreque nunc auras, nunc undas reddo trahoque.

13.

Cur, vesane, tibi videor ratione carere,
Cum nil, quod pugnet rationi, moliar? alta
Dum Titan fruges torret sublimis ab aethra,
Nullum tempus iners mihi, nullum abit absque labore.

Nam metuens hiemi mea pinguibus horrea granis
Impleo, ne macilenta fames consumat egenam,
Cum jam per vacuos regnant jejunia campos.
Quoque famis major metus est, quo rarior anni
Proventus, magis hoc gliscit mihi cura laboris.
Illa eadem pluviae venturae praescia vates.
Altius exstructos terrâ superaggero nidos,
Congestas ne mergat opes meque enecet humor:
Sic do sollicitis pluviarum signa colonis.

14.

In Vestae genitum gremio Vulcania fingit
Me vis, et moecho fictum dat habere Grādivo.
Nil aliud venter meus est, nisi longa caverna,
Altera pars cujus patet et vice fungitur oris,
Altera sed clausa est, nec quidquam emittitur illâ.
Esca mihi nitrum, carbones, sulphura, linum,
Et plumbum et ferrum, quae, ventre accepta capaci,
Igneus ut tetigit fervor — nam cassa caloris
Sum proprii — subito revomo tantoque fragore
Ejicio, ut tellus concussa tremiscat et aether.

15.

Vir probus a reprobo munus prece poscit et aufert,
  Carius in toto quo nihil orbe fuit.
Nomina dic, agedum, reprobique probique; suade,
  Quid probus a reprobo muneris abstulerit?

16.

Permanet una mihi semper substantia, verum
  Non unus semper permanet usque valor.
Hic valeo nummo, citius sed nomine, centum
  Florenis alibi, milleque rursum alibi.
In pejus mox deinde ruo vilescoque, fluxae
  Sum typus ergo tuae conditionis, homo.

17.

Corporis alterius licet e putredine nascar,
Inque meo innumeri nascantur corpore vermes:
Res alias tamen a putredine vindico et ipsis,
Quos tetigisse datur, sum vermibus acre venenum.

18.

De cornu thorax mihi dorsum et pectora munit,
Nulla autem vertex tegmina nudus habet.
Sed, cum praesentis terret formido pericli,
Pro galea thorax est operitque caput.
Armatura gravat corpus gressumque moratur,
Absque hoc militiae forsitan apta forem.

19.

Quae fuit ante alias homini exitiabilis unda?
Quae fuit ante alias unda salubris item?

20.

Martia castra adii, pedibus sex fultus; et inde
Subnixus repeto patria rura tribus.

21.

Ventre tumens pleno graviorque haud obruor undis;
At vacua et levior mergor et ima peto.

22.

Quamquam nil valeo, valeo tamen addere vires,
Si cui me socio jungere pone velis.

23.

Dic mihi, quando lepus duris e dentibus orto
  Dolore languens ingemat?

24.

Sum volucris, sed perpetuo tamen haereo terrae,
  Non alae tollunt corpus in alta meum.
Quando fugam meditor, fiducia ponitur unis
  In pedibus: pennis non bene fido meis.
Abdo caput fugiens et me bene credo latere,
  Sic hosti fio praeda petita meo.
Si vis ingenii stomacho par esset, in orbe
  Vinceret ingenium cuncta animata meum.

25.

Me licet haud quidquam pretiosius orbis haberet,
  Attamen exiguo venditus aere fui.

26.

Invictum mihi robur inest: non igne calesco,
  Aut solvor; multo destruor igne minus.
Nil mihi duritie certat; diffringitur incus,
  Et rimas, qui me malleus icit, agit.
Vis igitur nisi me peregre infestaverit, ausim
  Dicere, perpetuum robur inesse mihi.
Quae vis illa, rogas? fio tractabilis hirci
  Sanguine, et artificis disco subire manus.

27.

Quis duro sitiens humanum corde cruorem
  Quartae hominum parti lucis ademtor erat?

28.

Dic mihi, quid ventis, rapidi quid fulminis alis,
Quid stellis fixis ocius orbis habet?

29.

Me metuunt omnes, et me nihilominus omnes
Mortales optant, quotquot hic orbis habet.

30.

Virtutes magnas locupletibus offero parva:
Pando domos clausas, iterum sed claudo patentes;
Servo domum domino, sed rursus servor ab ipso.

31.

Ubera quis niveo gustavit turgida lacte
Ante patrem et matrem? si potes, ede mihi.

32.

Quem lapides inter pretiosos esse putatis,
Praeferri ut cunctis non sine jure queat;
Qui vel Erythraeo possit certare smaragdo,
Qui flammas superet, elare pyrope, tuas?

33.

Intrant bisseni sub tecta adaperta recepti;
Turba ruit foribus, per quas intraverat omnis,
Excepto quodam, septum qui clauditur intra,
Emittique nequit, si non sit janua clausa:
Namque per ille fores non egredietur apertas,
Evolat, objicias si dura repagula tecto.

34.

Longa feror velox, formosae filia silvae,
Innumera pariter comitum stipante caterva;
Curro vias multas, vestigia nulla relinquens.

35.

Terra mihi corpus, vires mihi praestitit ignis;
Alta domus quaerit, sedes est semper in imo;
Perfundor liquidis, sed me cito deserit humor.

36.

Mira tibi referam nostrae primordia vitae;
Nondum natus eram, nec eram tum matris in alvo:
Jam posito partu natum me nemo videbat.

37.

Os habeo et vivo, non esca per oris hiatum
It tamen, aut potus sumitur ore mihi.
Et nares habeo, nec iis tamen aëra duco,
Verum aliis intrant victus et aura viis.

38.

Patre carens et matre carens, sine matre puellam
Produco et propriae carnis ad instar amo.
Haec mihi juncta viro socialis foedere lecti,
Per me fit mater, me facit illa patrem.

39.

Nexa ligor ferro multos habitura ligatos:
Vincior ipsa prius, sed vincio vincta vicissim,
Et solvi multos, nec sum tamen ipsa soluta.

40.

Sum domus, e saxis aut multo structa labore,
Aut sterili, ut creber postulat usus, humo.
Expers solis ago, nullo quia tempore claram
Admittit lucis facta fenestra diem.
Ventorum gelidos quanquam non sentio flatus,
Torpeo perpetua frigiditate tamen.
Non calor est usquam, non rerum forma, tenebrae
Obscura quae sunt omnia nocte premunt.
Hospitii certam venienti confero sedem,
Confecit durum quando viator iter.
Convivis alius non est cibus, ac meus hospes,
Cui pars hospitii quantulacunque datur.
Admissos claudo, dimitto nec ante receptos,
Quam cum conflagrans ignibus ignis ero.

41.

Ala mihi levibus non sit licet obsita plumis,
Docta per aërias sum tamen ire plagas.
Haud natura mihi rostrum dedit ingluviemque,
Sumo tamen vescas conficioque dapes.
Non ovum pario, sed quid perfectius ovo;
Nox est apta meis, lux sed inepta viis.

42.

Funduntur lacrymae, sed non est causa doloris.
Est iter ad coelum, sed me gravis impedit aër.
Et, qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

43.

Virginitatis amans, solem, auras, frigus et imbres,
Dum famae vereor vimque dolosque, fero.
Observo tenerum vitae studiosa pudorem,
Ex hominum cedens, vallibus erro, grege.

Ossa procax nusquam promo temeraria vocem,
  Respondens alio pauca loquente, loquor.
Aerumnis animi tenuata fameque sitique:
  Antra cubile, thorus marmora dura mihi.

44.

Sum puero magnum teneris ego pondus in annis,
  Quod durus placido pectore ferre negat.
Verberibus parcis? subeundo pondere multo
  Segnior, ac tolerans ponderis Arcas equus.
Ut puero desum nullis in rebus, adulto
  Sic mala fortunae sum peracerba comes.
Per mare, per silvas, per terras curro, per ignes:
  Nil vis, nil hostis, nil mihi livor obest.
Non humeros onero, manibus non tractor, habenti
  Hoc levius, quo plus sustinet, esse probor.
Nudus ut incedat, secum gerit omnia dives,
  Me nulla quisquis parte recusat onus.

45.

Pax animi, requies rerum placidissima, curis
  Non ulla turbor conditione sinu.
Fessa ministeriis demulceo cuncta, labori
  Sufficiant studiis ut reparata suis.
Incessus hominum, vultus et verba loquendi
  Exprimo, factorum non simulator iners.
Mille mihi terras nati populosque pererrant,
  Quos, nisi componat lumina, nemo videt.

46.

Ex alto venio, longa delapsa ruina.
De coelo cecidi, medias transmissa per auras:
Et sinus, effudit qui me prius, ipse recepit.

47.

Nunc matrem praecedo meam, vestigia matris
Nunc sequor et lateri nunc haereo, nempe parenti
Prout mea se obvertit genitrix hac parte, vel illa,
Vel pater intuitur genitricem hac parte, vel illa.

48.

Non didici numeris numerandi pluribus artem,
   Non quocunque modo temporis ordo fluat.
Ne fugiat numerus, ne fallat in ordine tempus,
   Successumque datus sentiat usque labor,
Te doceo numeros, doceo te tempus, utrinque
   Dum monstro numeros, temporis edo moras.

49.

Fundo merum, quoties deposcis, fundo liquores,
   Unguentumque, litum quo bene corpus olet.
Depluo praecipites in tempestatibus undas,
   Perturbo magnis flatibus usus humum.
Me comitante Dii descendunt axe frequentes,
   Subsidiis homines cum recreare volunt.
Armorum celeri terras quoque reppleo casu,
   Avertit patria quae pietate Deus.

50.

Ignis in humano dispergens corpore flammas,
   Ardeo, perpetuis non ruo pressus aquis.
Me non arctoi corrumpit frigoris algor,
   Non rigor, indomitae non grave mortis onus.
Ut Deus ipse meo laetatur nomine dici,
   Aeternos ignis sic ego vivo dies.

51.

Principium prima ducens ab origine mundi,
  Duro, nec est terrae terminus orbe mihi.
Non est, non et erit mihi terminus ante, futurus
  Quam coeli judex orbis ab axe ruet.
Obscura videar quamvis caligine cingi,
  Res nulla constent ut ratione viris,
Prona tamen sum consiliis occasio dandis,
  Plurima quae dubiis commoda rebus habent.
Tranquillam placidae sedem concedo quietis,
  Ut reparent vires bruta hominesque suas.
Non terras adiens Hyperione lustror, at astris,
  Unde meum rara surgit honore decus.
Ut pavidas multum formidine teneo mentes,
  Sic animo vitiis me datus omnis amat.

52.

Non oculis videor, manibus non tangor, odore
  Non capior, gustu non vagus ore feror:
Percipior sensu tamen, et non impiger aures
  Afficio: sensu sim licet ipse procul.
Corpore colliso vel rupto nascor in auras,
  Vanesco, atque animam vix generatus ago.

53.

Est intra coelos, intra mihi mansio terras,
  Non coelum tango, non quoque tango solum.
Constringor vinclis, concludor robore duro,
  Ut nulla mutem conditione locum.
Os mihi semper hiat, petulanter et exsero linguam,
  Nec, nisi cum cogunt verbera multa, loquor.
Cum loquor, assiduis repleo clamoribus aures,
  Verbera cum cessant, tum quoque cesso loqui.
Non ulli noceo clamoribus, hortor iniquos,
  Contrito quaerant corde salutis iter.

54.

Porto domum mecum, semper migrare parata;
Mutatoque solo non sum miserabilis exsul,
Sed mihi conchylium de coelo nascitur ipso.

55.

Interpres mentis, loca per disjuncta viarum
Sensa voluntatis praemeditata loquor.
Erubeo nunquam, quod dicere quisque veretur,
Excusso nulla profero voce metu.
Officio dulcis nonnunquam fungor amici,
Nonnunquam partes fortiter hostis ago.
Et belli et pacis sum causa, bonique malique,
Auctoris posita pro ratione mea.
Non ego, si studiis cui servio, quilibet auctor
Fortunae faber est verus ubique meae.

56.

Pallas me docuit texendi nosse laborem;
Nec pepli radios poscunt, nec licia telae.
Nulla mihi manus est, pedibus tamen omnia fiunt.

57.

Rauca sonans ego sum media vocalis in unda,
Cumque canam semper, nullus mea carmina laudat:
Sic vox laude caret, quae se laudaverit ipsa.

58.

Alter dat, nec habet quod det, capit alter habetque
Ceu famulo Dominus quod det abunde suo.

59.

Omnia consumo, foveo simul omnia, rerum
Causa fui, rerum mox quoque finis ero. —

Nusquam et ubique manens capior, capioque vicissim,
Intus et exterius, nec teneo aut teneor. —
Ex me orior, redeo ad me rursus, nocte dieque
Curro, eadem atque alia et nescia stare loco. —
Pendeo, ceu pila, non ullo libramine fulta,
Omniparens pingui profero cuncta sinu.

60.

Multiplices prosum, quanquam contemnor, ad usus,
Inque paludoso sto sine crine lacu.
Me nisi ducentem sequeretur scriba, legenti
Nil quidquam docta sciret arare manu.
Non horti praeses multo cum foenore fructus
Accipiet, custos si bonus esse negem.
Non viget arboribus foecundis consitus hortus,
Si rigido munus despuit ore meum.
Captura volucrum solers frustratur et auceps,
Piscatorque mea non bene fultus ope.
Laetitiae nullo tibicen carmine signum,
Me cum praesentem non habet, usque canit.
Conficio celeri, quem vult herus impiger ictu,
Lychnuchos templis ignibus armo sacris.
Non tenui fugiunt praesepia vimine texta,
Artifices teneo quando ego mellis apes.
Quid multis opus est referam mea commoda verbis?
Quod prosim multis, usus ubique patet.

61.

Matre carens ego, necdum nata, parens tamen una
Sum cunctis; vitam do simul atque necem.

62.

Noctis habet faciem, per se ipsa nigredinis expers,
Fert tenebras media saepius ille die.

63.

Sum brevis in medio, capite ac in calce diei
   Longior, ut surgit sole caditve jubar.
Urgentes fugio, fugientes insequor, istas
   Me videt alternis quisque subire vices.
Defessos recreo, gratas dum largior auras,
   Dumque fatigatis praebeo frigus humo.
Nil fraudes vereor, mala nil discrimina, meque
   Sede prior moveat se nisi, nemo movet.

64.

Non bonus agricolis, non frugibus utilis hospes;
Non magnus forma, non recto nomine dictus;
Non gratus Cereri, non parvam insumo saginam.

65.

Alma Jovis nutrix, longo vestita capillo,
Culmina difficile peragrans super ardua gressu,
Custodi pecoris tremula respondeo voce.

66.

Est mihi principium, fuit et mihi terminus, at nunc
   Nec mihi principium, nec mihi terminus est.
Nobilium quoniam generoso stemmate natos
   Atque fidem signo prosperiore nota.
Contortos idem concinno vertice crines:
   Unde puella decens gaudet et unde puer.
Hinc in honore feror, meritoque hinc dignor honore,
   Quos in honore memor pectus habere solet.

67.

Provida sum vitae, duro non pigra labori.
Ipsa ferens humeris securae praemia brumae:
Nec gero magna simul, sed congero multa vicissim.

68.

Nubilis exorno frontemque caputque puellae
Gratior ut niteat forma venusta proco;
Impositos capiti sub mento necto galeros,
Denudet molles ne gravis aura comas.
Fundamenta loco saxosis firma columnis,
Instabiles dubia ne moveantur humo.
Involvo longos nautarum ex ordine funes,
Ut videar specie circulus esse tibi.
Non hominum fugio trepidanti pectore turbas,
Ut quotacunque vocer pars legionis, ago.
Delicias super hoc convivis pono facetis,
Appositos inter dum voror ore cibos.

69.

Mater alit vivum, vivens mox devoro matrem,
Matre tamen morior commoriente simul.

70.

Grammatica formas accommodo vocibus arte
Multiplices; rebus multa pericla creo.
Quod neque det fatum, neque sors quod blanda ministrat,
Spem praeter spatio forte ministro brevi.
Quid sim quaerenti non possum dicere, verum
Ex conjecturis conjice mente tuis.

71.

Praedita sum pennis, queis corpus in aëre libro,
Et quasvis didici vincere praepes aves.
Coepi ubi praeduro volucrem pertundere rostro,
Protinus it praeceps et moribunda tremit.
Si qua viis ales non ausa resistere nostris,
Parco; resistentes impetuosa neco.

72.

Viva rudes doceo sine vitae corpora signis,
Quodque genus veteri nobilitate loquor.
Res imitor quod ego, dedit hinc imitatio nomen,
Officium prodit quae manifesta meum.
Ne mihi divini per templa negentur honores,
Sanctorumque colar relligione loco,
Expers sincerae quod relligionis honore
Divino vulgus me veneratur iners.

73.

Angelus in penna, pede latro, voce gehenna:
Dic, quae sim volucris? sic mihi Phoebus eris.

74.

In capite ingredior, quia de pede pendeo solo;
Vertice tango solum, capitis vestigia signo,
Sed multi comites casum patiuntur eundem.

75.

Longa, sed exilis, tenui producta metallo,
Mollia duco levi comitantia vincula ferro
Et faciem laesis et nexum reddo solutis.

76.

psa gravis non sum, sed aquae mihi pondus inhaeret;
Viscera tota tument patulis diffusa cavernis;
Intus lympha latet, sed non se sponte profundit.

77.

Pellor ab alitibus si cunctis aethere toto,
Praesidio, Pallas, sum bene tuta tuo.

78.

Mersa procul terris in caespite lympha profundo,
Non nisi perfossis possum procedere terris,
Et trahor ad superos, aliena ducta labore.

79.

Dedita sum semper voto, non certa futuri:
Jactor in ancipites casus, numero variante.
Nunc ego moesta malis, nunc rebus laeta secundis.

80.

Non ego de toto mihi vindico corpore vires,
Sed capitis pugna nulli certare recuso.
Grande mihi caput est, totum quoque corpus in illo.

81.

Membra hominum torret luis immedicabilis ardor;
Coelum habito; fluvio captus adorno dapes.

82.

Luce carens, tenebris tumulatus vivo, nec urna est,
Nec saxum, nec humus, nec mare tumba mihi:
Est caro, quam carnem Praesul negat esse Latinus,
At carnem veram biblia sacra docent.
Nunc sursum tollor, nunc trudor ad ima deorsum:
Est animo, est requies corpore nulla meo.
Omnia conficiens, quod me non conficit, istud
Gratia munifici commemoranda patris.
In tenebris ergo prece me sustento sepultus,
E quibus emergens denuo cerno diem.
Se qui sustentat, prece nixus mente fidelis,
Auspice non horret dura necemque Deo.

83.

Findere me nulli possunt, praecidere multi,
Sed sum versicolor, albus quandoque futurus;
Malo manere niger, minus ultima fata verebor.

84.

Aure cavum media donat mihi tertile nomen,
Unguentum Syrio fundo liquore bonum.
Vox tempestatum mea sistit in aequore fluctus,
Litora quaeque videt Phoebus uterque refert;
Jungo ministeriis operas tonsoribus aptis,
A mendo barba est cum resecanda tuo.
Sed capio drachmas, praesens pictoribus adsum,
Icones pingit daedala quando manus.
Duritia silicum tegor, augeor imminuorque,
Ceu variat corpus menstrua Luna suum.
In gemmam duro conceptum rore liquorem,
Cui similem formam lumina piscis habent.
In Cyprum veniens divinos sumsit honores,
Ex me quum primum prodiit orta Venus.

85.

Dissimilis patri, matri diversa figura,
Confusi generis, generis non apta propago.
Ex aliis nascor, nec quisquam nascitur ex me.

86.

Sto, quae currebam, sed non tego, quae tego. Mater
Olim, nunc sterilis, rursus eroque parens.
Quae constat facies, non constitit, horridus illam
Juppiter instabilem sed tamen esse dedit.
Aufugio tamen, et velles me forte tenere,
Aut tota aut sensim subtraho me minuens.

87.

Quattuor insignis pedibus manibusque duabus,
Dissimilis mihi sum, qui sum non unus et unus,
Et vehor et gradior, quia me duo corpora portant.

88.

Grande mihi caput est, intus sunt membra minuta,
Pes unus tantum, sed pes longissimus unus,
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno.

89.

Inter aquas ardens in pectore nascitur ignis,
Intima qui crescens ossa calore bibit.
Ardet ut inter aquas ignis, sic crescit in igne,
Qui tandem nulla parte domatur aquis.

90.

Pascor rore levi, facio convicia soli;
Laetifico cantu rura virosque meo.

91.

Dat mihi, sublimis quod in aëre pendeo, vulgus
Nomen ab officii conditione meum.
Si facturus iter, si pugnaturus in hostes,
Aequor araturus si superesse cupis:
Ut fluvios superes, ut moenia strenuus urbis
Miles, et ut naves vector adire queas,
Hos equidem casus, quam me ducente, per omnes
Absolvisse via commodiore nequis.
Te super et fluvios, super et te moenia possum
Portare et naves te super incolumem.

92.

Dentibus innumeris sum toto corpore plena;
Frondicomam sobolem morsu depascor acuto;
Mando tamen frustra, quia respuo praemia dentis.

93.

Exspirans animam, non morte resolvor, at illam
  Assurgens suctam protinus abdo sinu.
Abdo sinu, et removens objecta repello subinde,
  Ne proprium teneant sede repulsa locum:
Ne cedam, caput et venter constringitur uncis,
  Hinc anima objectum quodque repello mea.
Emissam repeto, repetitam mitto, facultas
  Sit modo magna, animae sit modo nulla meae.
Sic mediis fluctus haurit delphinus in undis;
  Sic haustas iterum gutture fundit aquas.

94.

Mordeo mordentes, ultro non mordeo quemquam,
Sed sunt mordentem multi mordere parati;
Nemo timet morsum, dentes quia non habeo ullos.

95.

Nobilis urbs, populus justo sub rege laborat;
  Vix aedes, largae vix numerantur opes.
Non me coctilibus surgentia moenia plinthis,
  Unica perpetuo sed pede testa capit.
Saepe etiam solo cingit me stipite murus,
  Saepe etiam texto cratibus orbe tegor.
Intus nulla via est, secto quae limite quadret,
  In medio tota est sed sine lite forum.
Ast ubi seditio variis sub regibus orta est,
  Solvitur antiqua relligione fides.

96.

Evasi flammas, ignis tormenta profugi,
Ipsa medela meo pugnat contraria fato,
Frigesco lymphis, calidis incendor ab undis.

97.

Qui fuat, ut tanquam latro lacerarer iniquus,
Quae bona justitiae saepe ministra fui?
Telluris soboles, solis primum uror ab aestu;
Mox pereo, tanquam naufraga puppis aquae,
Aut fluvio, aut pelago, aut stagno, putrive palude,
Exercetque malus triste cadaver odor.
Hinc tanquam grassatorem me malleus urget,
Durateaque premit forcipe crebra manus.
Viscera dehinc laniat pendentia ferreus unguis:
In capitata etiam pendeo lenta cruce.
Postquam — quis me unquam jussit torquere nocentem?
Me miseram! — nihilo torqueor inde minus.
Tum posita in volucri scelerata Ixionis orbe
Volvor, et acta cita ventilat aura rota.
Post aliis alias mutatas ordine poenas
Innumera tunsam dente fatigat anus.
Innumerus dens innumeras confercit in unum
Cominus, et facie laevigat ore nova.
Atque hinc jam varios rerum quis dixerit usus?
Vix satis ad tantos sit mea Musa modos.
Nam pars exsiliis susceptis sponte vagantur,
Ast alii furcis pendula colla tenent.
Necdum finis erit, rursusque subacta sub undis,
Lubrica, qua spectas aequora, fio libens.
In quibus ut videas, quibus haec sint acta Camenis,
Rursus ab infestis ignibus usta cado.

98.

Vivo expers vitae, totum vaga pervolo mundum,
Haud volucris, multi sunt sine patre pares.

99.

Nec tempus, quo gignor, erat, nec erat locus, et me
Nascentem tempus suscipit atque locus.

100.

Mobilis, assiduo moveor sine pondere motu,
Et levis ascendens nubila celsa peto.
Nutrimenta voro, quaecunque feruntur, avarus:
Nec Deus ipse meum nomen abhorret amans.
Principia ut rebus tribui ratione sophorum,
In mundo rebus sic quoque finis ero.

101.

Sunt juvenes octo atque decem sine voce vagantes:
Quinque interpretibus sit locus, inde sonant.

102.

Crescens deficio, ingratus matrisque vorator,
Mors tamen illius morte parata mihi est.
Saxa, domus secreta palam vel nocte videbis,
Invenisse tamen coecus et ipse queat.

103.

Vox mea diversis variatur pulchra figuris;
Raucisonis nunquam modulabor carmina rostris.
Spreta colore tamen, sed non sum spreta canendo.
Sic non cesso canens fato terrente futuro,
Nam me bruma fugat, sed mox aestate redibo.

104.

Sol altor, tellus genitrix, sator ipse bimatris
Bacchus; me sepelit venter, et ante cadus.

105.

Quattuor aequales currunt ex arte sorores
Sic, quasi certantes, cum sit labor omnibus unus,
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

106.

Aere rigens curvo patulum componor in orbem:
Mobilis est intus linguae crepitantis imago.
Non resonat positus, motus quoque saepe resultat.

107.

A me ipsa ad me ipsam egredior remeoque, eademque
    Atque alia, praeceps, prona, supina, manens.
Instabilis, constans, mutans, mutata relinquens,
    Quae repetam, repetens linquere quae aggrediar.
Nulla mihi facies, facies tamen omnis, amara
    Et dulcis, facili difficilique modo.
Multisona, at multi populi sum mater; inani
    Consilio efficiam, quae metuunt, ut ament.

108.

Sublatum nihil est, nihil est extrinsecus auctum,
Nec tamen invenio, quod in isto vase reliqui:
Quod fuerat, non est; coepit, quod non erat, esse.

109.

Sum niger exterius, rugoso cortice tectus,
Sed tamen interius candentem gesto medullam.
Delicias, epulas regum luxusque ciborum,
Jus simul et pulpas constantes condo culinae.
Sed me subnixum nulla virtute videbis,
Viscera ni fuerint nitidis quassata medullis.

110.

Nomen habens graecum, contentio magna Dearum,
Fraus juvenis pulchri, multarum cura sororum,
Excidium Trojae, cui bella cruenta paravi.

111.

Garrulus in tenebris rutilos cecinisse solebam
Augustae lucis radios et lumina Phoebi.
Penniger experto populorum nomine fungor,
Arma ferens pedibus, belli discrimina faxo,
Servatas capitis gestans in vertice cristas.

112.

Lurida per latices caenosas lustro paludes,
Nam mihi composuit nomen fortuna cruenta.
Rubro dum bibulis vescor de sanguine buccis.
Ossibus et pedibus geminisque carebo lacertis,
Corpora vulneribus sed mordeo dira trisulcis
Atque salutiferis sic curam praesto labellis.

113.

Et curvum et pavidum durumque fuisse licebit,
Quin etiam audacem praecipiti ore dabo.
Imperium in fratres, quanquam virtute potentes,
Est mihi, sed multo fulgure pondus iners.
Sum vulgi votum, sapientis abominor auram,
An possis, valeam, dicere quid valeam?

114.

Ambo sumus lapides, una sumus ambo jacentes;
Quam piger est unus, tantum non est piger alter:
Hic manet immotus, non desinit ille moveri.

115.

Fausta fui primo nascentis tempore mundi,
Donec prostratus succumberet arte maligni;
Ex me tunc priscae successit causa ruinae,
Dulcia quae rudibus tradebam mala colonis.
En, iterum mundo testor remeasse salutem,
Stipite de patulo dum penderet arbiter orbis
Et poenas lueret soboles divina Tonantis.

116.

Hic habito in valvis, hic sum mihi tota supellex,
   Janua sum tota et tota fenestra mihi.
Sublatum tamen a summo curvamine tectum
   Admittit, sed non aëris orbe, diem.
Nil video tamen, et juxta est lux atque tenebrae,
   Pinguis sed plena luce minore magis.
Sed quae non fugiam, cur ergo retia tendunt?
   Fioque cum castris splendida praeda meis.

117.

Durum iter et várie confectum, emense viator,
   Prisca tibi officio patria terra patet.
Hic tu convivas tanto tractabis honore,
   Apponi ut non daps carior ulla queat.

118.

Omnipotens rector, nutu qui cuncta creavit,
Qui dedit in mundo tam victrix nomen habendum:
Nomine nempe meo florescit gloria rerum,
Martyribus nec non, dum vincunt praelia mundi,
Amplaque coelestis jam gustant gaudia vitae,
Frondigeris tegitur bellantum turma coronis,
Et viridi ramo victor certamine miles.

In summo capitis densescit vertice vellus,
Ex quo multiplicis torquentur tegmina pepli.
Sic quoque mellifluis escarum pasco saginis,
Nectare per populos tribuens alimenta ciborum.

119.

Nomine sum vini non digna, vicem tamen hujus
Impleo, dum cerebri victrix percello cavernas:
Illud sol radians, me Mulciber excoquit, amne
Gignor, alitque Ceres madefacti farris acervis.

120.

Est mihi forma teres; cavus, at non pervius alvus,
Quem medium nodis spissa medulla secat.
Porrigor in caudam, cui barbula vestit utramque
Oram, qua volucris sum vice remigii.
Exsanguis, de carne tamen satus, hujus alumnus,
Nec nisi carnoso vellor abusque sinu.
Jam truncus, capite et diffisa cuspide, sectus,
Proluo me succo, sepia nigra, tuo.
Usus abest linguae, tamen illa exerceo parte
Jus necis et vitae, tristia bella sero,
Componoque animos, regum iras mitigo et arma,
Atro felle mea aut spicula melle madent.
Hoc potior lingua sine me moritura, quod hujus
Sit soboles, nostram saecula multa manent.
Illa etiam solas praesentis manat ad aures,
Nostra vel immenso, qua patet, orbe sonat.

121.

Ore gero gladium, matrisque in pectore condo,
Ut mox, quae nunc sunt mortua, viva colas.
Dux meus a tergo, caudamque trahens retrahensque,
Hasta, non me, ut eam verberat, ast alios.

122.

Porrigor in ramos quinos, et quilibet horum
Diditur in triplices nodos, nisi quintus egeret
Uno, qui solus respondet robore cunctis.
Undique colliculis surgo in vallemque resido,
Ast abaci, desit si forte, ego munia praesto.

123.

Aëris excludo tempestatisque malignam
Vim, transmitto tamen lucem, non perfida, Bacchum
Accipio gremio, nostroque fideliter alvo
Assyrios nimbos fragantiaque unguina, credas.
Lumina confirmo, speculique exerceo munus.
Quin auri nostro pretium concedat honori,
Malleolo si forte sequax et ductilis essem.

124.

Haud temere invenias gravius quidquam, attamen una
Mobilitate viget, si vinclis exeat arctis;
Labitur in partes mille et reparatur in unum
Rursus, idem immutat species rerum atque colores.

125.

Ore bidens, bimanus, secus os, fastigia caudae;
Una est in toto corpore mole caput.
Curvum remigium vicibus pellitque trahitque,
Sed nunquam recto tramite carpit iter.

126.

Purpura sum terrae, pulchro perfusa colore,
Septaque, ne violer, telis defendor acutis:
O felix, longam si possem vivere vitam!

127.

Hostis, amicus, atrox, pius, intus et in cute notus,
Et capit et capitur, nilque tenere potest.
Erumpentem adytis rumpentemque excipit hostem,
Et vehit et vehitur, nusquam et ubique manet.
Fratribus immitis furit et pacatur et ardet
Et gelat et patitur et docet inde pati.
Presserit is si te, vel si defecerit, ibis
Ad propriam, nequeas unde redire, domum.

128.

Exiguum corpus, flexu mucronis aduncum,
Fallaces escas medio circumfero fluctu:
Blandior, ut noceam, morti praemitto saginam.

129.

Rubra mihi cutis est, latet intus vineus humor;
Os pro corde gero, semen at illud habet.

130.

Metior, ingredior, tendoque et carbasa laxo,
Nec moduli aut versus me sine stare queunt.

131.

Aemula sum Bacchi, me Mulciber excoquit, haud sol;
Neptunus pater est, mater et alma Ceres.

132.

Herba fui quondam viridi de gramine terrae;
Sed chalybis duro mollis praecisa metallo,
Mole premor propria, tecto conclusa sub alto.

133.

Sex bis Agenorias quondam venere sub aedes,
Egressique omnes, uno minus, inde patente
Sunt fore, at hic multum patefacta per ostia frustra
Nitens, postremo conclusis prodiit illis.

134.

Postulat a servo dominus coelestia jura,
Cum res in famuli non foret illa manu.
Praestitit officium, domino poscente, minister,
Idque supra vires (dic mihi, quid sit?) erat.

135.

In superas mater pueros nos edidit auras,
Et sumus humana conditione sati.
Nil tamen immites in nos potuere sorores,
Nil in nos habuit mors quoque juris atrox.
Vivimus et, similis veniat tibi vita, precamur.
Nomina si nescis nostra, require cito.

136.

Quae longoque brevique modo sunt rostra volantum:
Cum comedunt, intus debuit esse cibus.
Hoc rostrum vario coopertum est carnis amictu,
Nec vorat hanc, alia lege voratur ab hac.
Cauda regit volucres prorsum moderata voluntas,
Ast hoc in puncto cauda reflexa regit.

137.

Plus ego sustinui, quam corpus debuit unum;
Tres animas habui, quas omnes intus habebam;
Discessere duae, sed tertia paene secuta est.

138.

Dic mihi, quis quartam totius perdidit orbis
Partem? cujus erat tam scelerata manus?

139.

Culminibus ponit summis sua tecta casarum,
Porrectum est collum, cruraque longa rubent.
Est croceum rostrum niveaeque in corpore plumae,
Ova etiam ponit. Dic mihi, quae sit avis?

140.

Cernere me nulli possunt, nec prendere palmis:
Argutum vocis crepitum cito pando per orbem.
Viribus horrisonis valeo confringere quercus,
Nam superos ego pulso polos et rura peragro.

141.

Dic, quis peccavit contra praecepta tonantis
Alma Dei, et tandem superis concessit ab oris,
Nec tamen exesum est aliqua putredine corpus?

142.

Vir bonus et justus, verae pietatis amator,
Orabat reprobum supplice voce virum.
Quodque petebatur, toto praestantius orbe
Munus erat: dedit hoc improbus ille probo.

143.

Virgo modesta nimis, legem bene servo pudoris:
Ore procax non sum, nec sum temeraria lingua;
Ultro nolo loqui, sed do responsa loquenti.

144.

Tres capiunt lepores, duo patres et duo filii,
Accipit ast leporem quilibet inde sibi.

145.

Dic, quis certa Dei prompte mandata peregit,
Dumque haec exsequitur, damnatio contigit illi?

146.

Arbor in hoc saeclo generatur, quae duodenis
Frondibus ornata est, et redimita nimis.
Quilibet at ramus decies ternos quasi nidos
Sustinet, in nido sex quater ova cubant.
Nascitur ex ovo quovis avis una sonora,
Qui sexaginta vocibus usque canit.
Candidus attondet niger et mus omnia, donec
Murem, ova et nidos catta proterva vorat.

147.

Mucro mihi geminus ferro conjungitur unco;
Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo;
Scrutor aquas medias, ipsas quoque mordeo terras.

148.

Non vir, non mulier, non mas, non femina, non stirps,
Non animal, retinens undique, vivo aliud.
Nunc noram, nunc mendaci discrimine primum,
Verus, dehinc multi me genuere patres.
Haud pedes, haud eques, haud navi, non praepete penna,
Velifico, ingredior, sto, nato, curro, volo.
Qui me descripsit, nihil is quaesisse videtur,
Quam me: cui faveo, non favet ille mihi.

149.

Fert carnem, premit et carnem, dum fertur ab illa,
Sanguinis et carnis nil habet illa tamen.

150.

Principioque et fine carens, sine lumine vitae,
Pervadit celeri mobilitate viam.

151.

Dum glacialis hiems terras exasperat omnes,
Sum nuda atque cubo positis a corpore plumis.
Torrida quum primum meliorque revertitur aestas,
Velatur corpus pennis ac membra teguntur
Et sobolis nostrae curam vir suscipit alter.
A proprio cantu possunt me noscere cuncti,
Et si jam canerem, scires, sed dic mihi, quae sim?

152.

Ignibus in mediis vivens non sentio flammas,
Sed detrimenta rogi penitus ludibria faxo;
Nec crepitante foco, nec scintillante favilla
Ardeo, sed flammae flagranti torre tepesco.

153.

Mater erat tellus, genitor fuit ipse Prometheus,
Auriculaeque regunt redimitae ventre cavato.
Dum cecidi infelix, mater mea me divisit.

154.

Cum vultu pungit, cum verbis dulciter ungit;
Affectum fingit, complexu pectora stringit;
Si res procedit, animam cum corpore laedit.

155.

Excelso volucris versatur in aëre quaedam,
Huic similis quae sit, nulla sub orbe viget.
In mediis hujus natae sunt ignibus alae,
Orta est e flammis, aethera deinde subit.
Septenos vasto degluberet ore juvencos,
Hanc si corriperet non satianda fames.

156.

Pelle carens nascor, non audio, sed tamen ipse
Audior, haud culpo, sed male culpor ego.

157.

Optima quae sit aves inter, mihi quaeso recense,
Ex qua sed fiant fercula nulla tibi.
Non torrere veru poteris, ut caetera, ad ignem,
Non erit elixa hinc, nec caro frixa tibi.

158.

Abstrusum est aliquid, coecis latitatque cavernis,
Vivit, ut in vasto bestia saeva specu.
Ex Pario validum circumdat marmore septum,
Munitus vallis aggeribusque locus.
Egreditur nunquam, nec limen prosilit extra;
Quo minus hoc possit, vincula firma vetant.
Hoc fremit, ut resonet, ceu cum sublimibus antris
Continet Hippotades flamina clausa Deus.
Hoc inimicitias, bella, iras, jurgia, caedes
Excitat, ingeminans quidquid ubique mali est.
Hoc coelo terram commiscet et ignibus undas,
Reddit et in priscum cuncta coacta chaos;
Conjungit rursus, sociat, nova foedera pangit,
Ut pax in cunctis floreat alma locis.

Efficit, obtineant ut certum jura vigorem,
Componit lites, jurgia quaeque secat.
Nil usquam melius, nil est praestantius illo,
Nil etiam pejus deteriusque manet.

159.

Cellula parva jacet, splendens candore nivali,
Hunc aditum praebet janua nulla tibi;
Nulla fenestra patet, teres atque rotunda videtur,
Marmoreo cincta est aggere tota domus.
Attamen et vivum quiddam generatur in illa,
Cui verum corpus redditur atque caro.
Provenit et quaestus multis uberrimus inde,
Hinc quoque non pauci, quo satientur, habent.

160.

Est domus, est paries longe antiquissimus ejus,
Perpetuus, quoniam janua nulla patet.
Rumpitur hic facile, ast aliis est saxeus; illis
Est sine calce, aliis calx quoque mista tenet.
Exsule sole, vacat nullis obscura fenestris,
Nec facilis tristis murmurat aula locis.
Nulla loci facies, nec vis, sed frigida torpet;
Nec sedes tota est nil, nisi lectus iners.

161.

Si bene dispicias, res sum notissima cunctis,
Non ita sed multis copia facta mei.
Me non optaret quis, si caruisse liceret,
At tandem miser est, quisquis habere cupit.
Qui pretio redimit, nostro non indiget usu,
Quique paravit, opus non habet ille mei.
Denique me sumto quidam ceu munere honesto
Utitur et doni nescius ipse sui est.

162.

Dic mihi: quae latis degunt animalia terris,
  Haec eadem pontum, nec minus astra tenent?

163.

Est sera, aquis constans, reserat quam lignea clavis:
  Venator capitur, libera casse fera est.

164.

Filia sum solis et sum cum sole creata,
Gaudeo ter centum decies sex quinque creatis.

165.

Anser ovem maculat, cui potum vacca ministrat.

166.

Quattuor est lepidis mihi res distincta figuris:
  Huic eadem facies ante retroque videt.

167.

Est aliquid, quod, si videas, sinis usque jacere,
  Et si non videas, sat scio, tollis humo.

168.

Si scis, dic: homini nimis arctum quid foret uni,
Amplum sed tribus nimium, justum bene binis?

169.

Qui de quingentis, de quinque decemque fit unus,
Ille meis precibus dignum poterit dare munus.

170.

Nec caro, nec piscis, de carne et pisce creatum,
Hujus et illius suppleo saepe vices.

171.

Dum mihi vita fuit, fragilis tenuisque manebam
Et multae corpus debilitatis erat.
At, cum me rapuit matris de corpore fatum,
Invalui et coepi firmius esse simul.
Congrego dispersum varie lateque popellum,
Conventus celebres non semel ergo dedi.
Consul, eques, plebs et mercator, navita, caupo
Me cupiunt, uti qui nequit, ille dolet.
Purpureos inter commercia plurima reges
Sunt mihi, quos socio dissocioque simul.
Nunc pro justitia multo conamine pugno,
Infero virtuti saepe, bonisque manus.
Protegitur nostra rectum virtute bonumque,
Suppremiturque meis viribus omne pium.
Illi laetitiam genero et bona gaudia porto,
Provenit huic gravior, me faciente, dolor.

172.

Torqueo non possessa hominem; possessa fatigo
Curis; perdita mox ipsa dolore premo.

173.

Bis venere novem juvenes ad moenia nostra,
Ex aliis huc ad nos rediere locis.
Conspicui forma pariles florentibus annis,
Attamen his minime, par decor oris adest.
Nil est, egregiae quod dicas deēsse cohorti,
Quam quod non potis est edere lingua sonos.

Non illis vox est, sed secum quinque sodales
   Ducunt, ex his ut verba loquantur habent.
Submoto nullum dicunt interprete verbum,
   Orbe sed est toto gloria magna virûm.

174.

Furfur edit, pannum, panem quoque SusTineaMus.

175.

Fare: quis est, belle generatur qui sine pelle,
Hospitio cedens, domino sua praemia reddens?
Nunc retinet morem, passim diffundit odorem,
Vel clam se celans, vel murmure saepe revelans.

176.

Me non dura fames, me non amor urget edendi,
   Sed ferri et chalybis fit mihi lamna cibus.
Me vesci prohibent oleum, tunc crebrior usus:
   Haec duo me vires non diu habere sinunt.

177.

Nympha mihi genitrix, pater est Vulcanus, et hinc sum
   Flammarum, undarum passus acerba simul.
Quae dant Sauromatae, tam dulcia aromata non sunt,
   Quam mea, condiero suavius ipse cibos.

178.

Sim licet investis, tamen haud elinguis, et ore
   Sum semper patulo, tum pedis usus abest.
Et nisi circumagar, nisi crebro verbere tundar,
   Lingua solet nullos edere nostra sonos.
Gutture quando meo clangentes rupero voces,
   Tristitiam moveo laetitiamque simul.

179.

Negligor aestatis vitio; cum frigus inhorret,
Diligor et cunctis dicor amica modis.
At non sponte mea possum prodesse: priusquam
Profuero, venter mi calefactus erit.

180.

Nec caro, nec sanguis mihi, sum sed utroque creatus,
Et carnem et sanguen saepe per alta tuli.
Nunc, qui me glabram fecit rapuitque medullam,
Hujus in officio sedula semper ago.

181.

Ecquod in his terris animal tam vivit inerme,
Tamque imbelle pecus, dic mihi, quale fuit?
Cui ego non animos, cui non ego cornua promam:
Bella, inimicitias saepius ipsa creo.

182.

Est quidquam, constans tum carne et sanguine; miscet
Et bona saepe malis, et mala saepe bonis.
Non raro instituit cum caede et sanguine bellum,
Non raro laudes fert homini atque Deo.

183.

Si me conspicies, me natam ab arundine censes,
Si vero audieris, me tonitru esse putas.
Sed quod mortifero mea fulmina consero tactu,
Ipsamet ut veniam non opus esse reor.

184.

Sum capitosa nimis, variisque objecta periclis,
Curro vias longas, firma tamen maneo.

185.

Peste cadunt multi, multosque interficit ensis,
Ignis edax multos, pluribus unda nocet;
Ipsa sed ingentem perimo sine sanguine stragem,
Sum contemta tamen peste vel ense minus.
Quin etiam, quanto plures occidero, tanto
Sum dilecta magis, sumque odiosa minus.

186.

In sterili vadit terra sine pondere navis,
Et scindit sulcos per vada dura soli;
Nec lustrat terras peregrino sole calentes,
Attamen haec homines pascit, alitque pecus.

187.

Est res, in villis magnis simul atque pusillis
Nota, sed in biblicis lege negata libris.
Non edit ex illis, qui praeciduntur in illis,
Nulla sui similis res magis aut parilis.

188.

Non invitatus mihi saepius hospes in aedes
Advenit, hunc summo non pudet esse loco.
Nec tamen hunc unquam licuit mihi cernere apertis,
Si clausis oculis non mihi visus erat.

189.

Crebra lavor fluviis et fluctus verbero crebro,
Supprimor et mergor fluctibus absque modo.
Nunquam candidior, nunquam formosior inde
Emergo, inde magis forma venusta perit.
Me manus artificis pulchram ponebat in undas,
Sum carbone tamen turpior ipsa nigro.

190.

Praebeo potandi certum sitientibus usum,
   Cum grata calidum sorbitione bibunt.
Servio convivis, evulsum quando legumen
   Atque agreste cocis igne domatur olus.
Involucro quodam nascentem contego florem,
   Quam prius egreditur vere tepente rosa.
Glandibus hinc durum silvestribus addo putamen,
   Quae suibus dantur grata sagina cibo.
Defendo cochleas in aquis terraque morantes,
   In propria tutae sint ut ubique domo.

191.

Oppono molem, torto ne gurgite nimbis
   Luxarians pingues amnis inundet agros.
Munio cum castris arces urbesque, cruento
   Ut teneat quivis tutus ab hoste larem.
Ne peregrinantes labor aurigasque moretur,
   Et faciat laeta fronte viator iter,
Non opera desum, studium non denego cuiquam,
   Tela datum feriant ut jaculata scopum.

192.

Versicolor fugiens coelum terramque relinquo:
Non tellure locus mihi, non in parte polorum est.
Exilium nullus modo tam crudele veretur;
Sed madidis mundum faciam frontescere guttis.

193.

Cum de sede mea per vim detrudor iniquam,
   Fulgurat atque antro fulmina dira tonant.
Me res parva abigit, sed, cum discedere cogor,
   Cum fumo nebulas halitus ater agit.

194.

Me sine nemo potest sublimia culmina Olympi
Scandere, adire Deum me sine nemo potest.
Me sine, quod facies, ingratum est cumque Iehovae,
Me sine non opus est, quod Deus aequus amet.

195.

Et volito, et curro per summa cacumina velox,
Sim licet absque alis, sim licet absque pede.
Nocte tamen peragro, stipata sed agmine multo;
Me prohibet frater currere posse die.
Non raro in cancrûm vires extendo latebras,
Meque potestatem sentit habere mare.

196.

Sum levior flocco, verum graviora ministro,
Quam vel in hoc mundo fecerit ipse Gigas.
Ante Dei celsam mihi fas est scandere sedem,
Hic, quodcunque etiam flagito, saepe facit.
Quin mihi comparent rutili tota agmina coeli,
Quam submisse orior, tam magis alta peto.

197.

Sol quando radiis nubes fulgentibus atras
Intrat et adverso lumen ab imbre jacit:
Insigni splendens circumdo nubila cinctu
Et picta coeli veste pererro plagas.
Ipse mea similem quandoque ab imagine formam
Procreo, dat vultus quae simulacra mei.
Convexo structos firmo curvamine muros,
Ut rerum melius pondera quaeque ferant.
Quam prius infestant dominos lethaliter, hostes
Eminus amoveo de statione feros.

198.

Maxima planities, sine flore, sine arbore campi,
Et vitreis constat collibus, et tumulis.
Nec, nisi durato potes hac transire caballo,
Sic licet incolumi te remeare pede.

199.

Elevo in excelsas, qui me sectabitur, arces,
Dejicio inque imum meque meosque locum.
Est via recta mihi, tamen haud mihi recta placebit,
Nec, nisi in obliquo tramite curro libens.

200.

Parva mihi domus est, cui janua semper aperta,
Janitor et nullus, dura nec ulla sera.
Omnibus invisus, mihi retia mille locantur,
Sum tamen in patula tutior ipse domo.

201.

Nulla dies abiit, qua sim saturata relicta,
Quamvis caesareas desideam inter opes.
Imo, quod hic vasto comprendit climate mundus,
Si teneam, „esurio" clamito et esurio.

202.

Sum, nondum dira confectus morte, sepultus,
Haud urna, haud saxum, non humus ulla tegit.
Et loquor, et sapio, et vitalibus abdicor auris,
Meque capit vivus, meque vehit tumulus.

203.

Regium quidam diadema gestat
Miles, auratum pariterque calcar,

Temporum vates, bonus et propheta:
Dic mihi, quis sit?
Ipse materno teres et rotundus
Ventre processit, nec habens caput, nec
Ceteros artus, animamque nullam:
Dic mihi, quis sit?
Inde, natura melius favente,
Accipit sensus, animam, figuram,
Admonet coecos homines docetque:
Dic mihi, quis sit?
Antequam tandem moritur, piatur
Fonte sacrato bene candidatus;
Itque pro nobis miseris ad ignem:
Dic, rogo, quis sit?

Zweite Abtheilung.

Aenigmata syllabica.

Charaden.

1.

1. Silbe. Me quaerunt fessi, quoties requiescere debent.
2. 3. Silbe. Me, quoties potus cupidi, quaerunt sitientes.
Das Ganze: Et me quaerunt, ut calefiant, frigore magno,
Qui cubitum discedunt.

2.

1. 2. Mercator: „patefac“ — inquit — „nos, marsupium si
Non vis sit patefactum.....“
3. 4. Innumerae sumus: utitur una quilibet, at, si
Non simul una alius tecum utitur, usus inanis.
D. G. Linguam hanc professor linguarum non decet ullus.
Illâ si princeps loquitur, mox percipit aula.
Illâ si dominus loquitur, mox porrigit aures
Ipse canis. Solus cum sola, captus amore,
Hac loquitur; nunquam docuit grammaticus illam.

3.

1. Illum qui sentit multi plangunt, patiens sit;
Fortior est semper, qui vexat eum.....
2. 3. Et sceleris purus me commisisse fatetur.
𝔇. 𝔊. Dele, destrue me, quam primum natus ego sum;
Confestim innumeros alios gigno, similes qui
Sunt mihi......

4.

1. Multi sunt coeci, qui me non cernere possunt.
Arborum eos namque impedit ingens copia. Nonne
Commiserandi sunt?......
2. Unum sum; pluralem tu cave, coece marite!
𝔇. 𝔊. Me eminus audi nocte, et delectabitur auris.

5.

1. 2. Tu me non vis. Visne? libenter porrigo, sed ne
Desideres plus! Visne manum? non porrigo, scito.
3. Est sedes mea non fixa, est mutabilis, ut scis.
Pendeo nunc in clavo, nunc me brachia condunt;
In manibus nunc portor ab his, et portor ab illis
In capite......
𝔇. 𝔊. Si te pungit acus satirae et tu vulnerna sentis,
Non defendere possum, sed defendere possum
A puncto vulgaris acus te.

6.

1. O Deus, oramus, locupleti pauperibusque
Da, quod syllaba signat, ut omnes vivere possint;
Paucis natura est contenta.....
2. Sint modo parci! Quod superest, id colligat omnis
In vas: posterior nomen tibi syllaba dicit.
𝔇. 𝔊. Adsunt si fastidia, totum pendeat alte.

7.

Ver mihi ferre potest primum, sus ferre secundum;
Quid vero totus, distichon istud ait.

8.

1. 2. 3. Maximus illi honor est tribuendus, militibus qui
Totius praeest legionis....
4. 5. Me pete, si peccasti. In pugna saepius ille,
Qui non peccavit, sed praestitit omne, quod illi
Praestandum fuit, invitus petit atque coactus
A victoribus....
D. G. Duces desertoribus ad tempus dare solent.

9.

1. Quis species omnes hujus generis numerare
Possit? Principio stat maxima bellua mundi,
Finit parvulus, ut digitus tuus auricularis.
2. 3. Est soror anguis et illi letiferum ore venenum est:
Sic ajunt sacri scriptores atque profani.
D. G. Bestia devorat haec prius, id nomen dedit illi.

10.

1. Hic habitant homines felices atque beati;
Valde rident, si, qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
2. 3. Balnea sunt, quae praeclarum nomen generi dant;
Est quivis polyhistor.....
D. G. „Non est in medico, relevetur semper ut aeger.“
Aegrotos omnes ego curo, confugite ad me.
Crura et costas si fregistis, confugite ad me.
Si vultis, possum quamvis incidere venam.
Omnia praeterea nemo nova scit melius, me.
Serius est vultus, risum teneatis amici.

11.

1\. 2. Majores venerabantur vos, in tenebris dum
Vivebant. Vos non estis; nunc lucidior lux
Jam pridem nobis apparuit. Omnipotentem
Te, qui vivis in omnia saecula, noscimus omnes.
Eheu, quam multi te non recte venerantur:
3\. Te genuit pictor, genuit sculptor. Potes hosce
Artifices non dissimulare. Pater tuus unus
Ex illis ....
𝔇. 𝔊. Rides? inquiras, an non proprium venereris?

12.

1\. 2. Nos habitamus in urbe, et pacem poscimus omnes.
3\. 4. 5. Adsumus ad defendendum bellumque gerendum.
𝔇. 𝔊. Una nos prius et nos posterius sumus. Ecce!

13.

1\. 2. Si non essemus, deberes flumina quaevis
Transnatare .....
3\. Sic ajunt: hic me non possidet, ille loco non
Recto. Nonnulli amiserunt me male cauti.
Qui me possidet, ille potest devincere cunctos.
𝔇. 𝔊. Impedio quemvis hostem, ne transeat amnem.

14.

1\. Hic locus est, quo venundant, quae sunt opus et quae
Non sunt, omnia. Dextro eme tempore, possideas tum,
Quum non porro carere potes .....
2\. 3. Non loquor unquam submissa voce; elige, surde,
Me praelectorem .....
𝔇. 𝔊. Pellite nunc vestros medicos doctos: ego veni,
Cunctos curo, cunctos sano, quid? dabo cunctis
Aeternam vitam.

15.

1\. 2. Gnavus si me possidet, illi ego fertilis usum
Praebeo magnum, et fructus largos tempore messis
Demetit. Ignavus lolia et spinas metit hirtas.
3\. Es si totus, quem designat syllaba, gaudet
Te quivis: exercitus, uxor, patria, cunctis,
Care, satisfacis. „Hic est totus“ clamat id omnis.
D. G. Hic arat, hic serit et, Deus ut fortunet id, orat.

16.

1\. 2. Ut vere placet, me, quamvis sim decus illi,
Quaelibet abscondit caute bona, casta puella.
3\. Participem me semper habebis laetitiarum,
Participem moeroris; in illis non bene cernor:
Est hic, in quo me solum cognoscere debes.
D. G. Amplector te; inter multos carissimus es mî.

17.

Siccat prima vias, et nummos altera condit;
Integra quid vero? percipe: vanus homo.

18.

1\. Sic nunquam parvos, sic appellare gigantes
Fas est.....
2\. 3. O nomen dulce! est is terque quaterque beatus,
Qui recte et bene noscitat illum, cui dare jure
Possim.....
D. G. Quis sim? filius ignorat, tu quaere nepotes.

19.

In fovea dormit prior, et totum fodit, usque
Invenit illum: nunc pugnatur pugna cruenta.
Scito: posterior genus est, species vero totum.

20.

1. Ex quo sunt homines, jam sedulo me coluerunt;
Jure quidem, nam largiter, ecce! remunero cultum.
Puro, qui me adeunt, hic possunt aëre vesci.

2. 3. Quisque fugit pavidus me aversaturque venenum
Mortiferum, quamvis pulchre splendere videt me.
Olim mortales ego calliditate fefelli;
Nunc sequitur me poena Dei vindictaque sacra.

D. G. Pugna instat, certare paratae stant legiones;
Faucibus ex amplis utentes me vomitante
Vel letum, vel vulnera. Maximus Hannibal olim,
Pugnans, hostiles naves sororibus implet
Nostris; terribilem me nondum noverat ille.
Gaude! fulgura non lucent mea tempore pacis.

21.

1. 2. Excudunt ceras et mella tenacia fingunt;
Verum deterius genus est, quod non amat ullus,
Valde quod nos persequitur, nos persequimurque.

3. Progeniem foetusque fovens avis insidet in me.

D. G. Pungere me noli, nostra intolerabilis ira est.

22.

1. Est aequandus edax, sic dicunt, huic animali,
Quod, (bene scis) simulac appellatur, venit ipsum.

2. Est ita: quisque suum it proprium, lentum celeremve,
Laetum vel tristem; cognoscis quemlibet ex me.

D. G. Saepe infantulus accipit in baptismate sacro
Hoc nomen.

23.

1. Hoc fert solemnis nomen saltatio. Saltant,
Fictos induti nunc vultus, nunc sine larvis,
Et pulsant terram laeto pede.

2. Quis propria caruit? Tu portas alterius, si
Vis bonus et pius esse. Sed est hoc tempore talis
Rara avis in terris nigroque simillima cygno.

𝔇. 𝔊. Ponitur in navi, ne unquam careat gravitate.

24.

1. 2. Si proficiscens advenit, ante incognitus, urbe,
Atque caret me, non sine magna opera ibit in aedes
Primorum clausas; sed qui me possidet, ille
Jam scit, quo se vertat: aperta est janua per me.

3. 4. 5. Si quis per longum intervallum temporis ulli
Quotidie servit, tunc temnitur abjiciturque;
Si quis multa tibi praedicit, vaticinatur,
Ut vates verissimus, et forsan semel errat
In parvis rebus, tunc mendax ille vocatur:
Nonne miser credendus idem? Sic sunt mea fata.

𝔇. 𝔊. Si cujus nomen vis, si vis munera scire,
Et quis sit cujuslibet ordo, quis locus ille,
Quem teneat, quaeras ex me, te cuncta docebo.

25.

1. Mens sana est certe fortunatissima sors, sed
Ut sanum quoque possideat me, quilibet optat.

2. 3. Hic vehit ac vehitur simul, et sua munera sperat
Pro studio atque labore; ut maturetque iter, illi
Plus, quam mos est, promittas: nam, qui bene inungit,
Is vehitur bene......

𝔇. 𝔊. Impiger hic est rector equorum, flectit habenas,
Principis atque alte in curru sedet....

26.

1. Res, magnam campis quae comparat utilitatem,
Sed foeda est...

2. 3. Nonne vehi vili curru praestantius ire
Est pedibus?....

𝔇. 𝔊. Mobile conclave est, noli mirari, ubi pastor
Pernoctat; nam pastor semper mobilis ipse.

27.

1. 2. Procreat aestas nos natas dignas genitrice.
Jam juvat adspectus, nostrum et concedimus usum.
Quo fit ut (est rarissima res) omnes adament nos.
Sed distinguimus: adsumus exornare puellas,
Ast veteres matronas invitae decoramus.
3. Accipiant me illi, qui jure merentur honorem;
Sint victores, vates, virginitate celebres,
Sint inter vivos, aut sint jam morte beati;
Quisque suum, nam sum varium, non omnibus idem.

𝔇. 𝔊. Quam varie summum mortales numen honorant!
En, ego sum testis....

28.

1. 2. En! vinum biberam, quod mî contraxerat os; tu
Dic mihi: quale fuit vinum hoc?...
3. Crescere in hortis me, scit quilibet; ast mihi certe
Esse videntur valde inimici, namque securi
Abscindunt caput, in minimas partes resecare
Me non horrescunt, pedibus me denique calcant.

𝔇. 𝔊. Est cibus acceptus, gratus cum carne suili.

29.

1. 2. O, quam multiplices et diversae inveniuntur!
Sunt partim parvae, tenues, sunt pondere magno,
Sunt partim curvae, nec non hebetes et acutae,
Multo munitae cupro et gemmis pretiosis.
Suntque gerentes magnum gibbum, suntque politae.
O, cave! qui longam accipit, ille est commiserandus.

3. 4. En! thesaurus carior auro est, elige carum.
Illum ut nanciscaris, mi bone, nitere semper.
𝔇. 𝔊. Haec si verba facit, quis non inceditur ira?
Intolerabile multum est, hanc sed quilibet odit.

30.

1. Solliciti me quaerunt, iratissimus hostis
Si crudeliter appetit ipsos persequiturque.
Concipiatis spem, si vos defendere nullae
Sufficiunt humanae vires. Invenietis
Certe me. Est Deus omnipotens, ac impedit hostem.
Tuti eritis: vos ipse suis firmis teget armis.
2. 3. Omnes humani generis tibi finge inimicos,
Majorem, pejorem, quam nos, non tibi finges,
Qui invadit rabidus cunctos, non parcit et omni,
Culpa qui vacat, illos deformat mutilatque,
Reddit surdos, coecos, claudos, enecat, atque
Non satiatur; dic mihi, nonne est ille timendus?
Tales nos sumus. Est confessio propria, vera.
𝔇. 𝔊. Conservatori nostro sit maximus honor!
Per nos a prava peste hac homines liberavit.

31.

1. 2. Ponit multas et diversas ante oculos res
Natura: at similes illas saepe esse videmus,
Quamvis una est praecellens, ac altera vilis.
Pone hominem: dic, nonne est simia vilior illo?
Pone asinum; nonne est praestantior ille caballus?
Fele est tigris major; saevas noscimus ambas.
Anser vilis, sed majores, quorum ego nolo
Dicere nomen. Tu potes illud dicere. Nonne?
3. 4. Audimus te; delectas aures animumque.
𝔇. 𝔊. Ante obitum estne beatus? Cantus, quem canit, hocce
Affirmare videtur....

32.

1. 2. Accidit et mihi, quod jam multis accidit ante:
Hic dum me valde contemnit, laudor ab illo.
Si mihi rusticus ex animo toto benedicit,
Tum vehementer longum iter hic faciens maledicit.
In luctu est avis, exsiliunt ranaeque palude.
Ast ego consolor me: nemo satisfacit omni.
3. 4. Heus, heus! nil valeo laxus, frangor nimis arctus.
D. G. Tolle oculos laete! scito: post nobila Phoebus.

33.

1. Quotidiano qui satiat victu esurientes,
Qui puram valde sitienti porrigit undam,
Atque benigne denudato donat amictum,
Quam venerandi sunt hi! Me illis adnumerabis.
Filius est mihi degener; hic nunc gaudia falsa,
Nunc fictum pingit moerorem; decipit ille
Semper. Condoleo. Pater est innoxius. Illi
Vos ne credite, nec commentatoribus ejus.
Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se;
Ast odiosi non fratris pronuntio nomen.
2. 3. Urbanus mecum vir nullus prodit in aulas,
Nobilis et tamen exornata est femina per me.
D. G. Si caput haec tegit, exopto ut placide requiescas.

34.

1. 2. 3. Die mihi, recta inter nos nonne brevissima semper?
4. Illi robur et aes triplex, quod nemo negabit,
Circa pectus erat, qui primus fragile lignum
Me pelago immenso commisit....
D. G. Sunt varii sociorum et multi, verum ego certe
Maximus, aio. Nulla salus per me fuit unquam,
Pernicies multa. Omnes contestor populos, at
Non Anglos.....

35.

1\. 2. Non aurum nos, non argentum, non sumus etiam
Gemmae, sed tamen ejusdem pretii sumus. Ecquis
Nos caras non aestimat? Omnis femina dives
Ornat se nobis....
3\. 4. Quae peperit, solummodo gaudet nomine pulchro.
𝔇. 𝔊. Haec natas peperit, quas nos descripsimus ante,
Mater vilis, filia plus valet. (Est ita saepe.)

36.

1\. Sic est: si coquus, aut si me obliviscitur auctor,
Ejus scripta cibosque omnis contemnit et odit.
2\. Intono clara voce et forti, si vacuum sum.
𝔇. 𝔊. Si bene mensa instructa est, certe non ego desum.

37.

1\. Posterius grato cane, quisquis es, ore priori.
2\. Ipse tibi nunquam cane, cantus is est odiosus.
𝔇. 𝔊. Est praeconium in ore hominum quorumlibet: o, si
Quovis tempore cor sincerum diceret illud!

38.

1\. Omne vorans me possidet, id quod nemo negabit.
2\. Omne, quod in terris his vivit, nomine (quivis
Id scit) hocce vocatur....
𝔇. 𝔊. Nobilis est mater; patrem non nomino, namque
Me pudet illius merito, non est generosus.

39.

1\. 2. Omnes sunt nostrûm cupidi, nituntur et optant,
Ut nos arripiant; sumus illorum unica finis.
Non horrent operam, nec sumtus, tangere metam.

3. 4. En prolem tristem nos, solamen miserorum!
Est homo solus, qui nos gignit, bestia nunquam;
Excepta est fera unica, si modo fabula vera est.
D. G. Sursum mortales! illic perfecta priora;
His non cessabunt in terris posteriora!

40.

1. 2. Utimur his armis, qui pacem poscimus omnes,
Praecipue, si, festivas epulas celebrantes,
Nos socialis amor conjungit: laedere amicum
Nemo vult....
3. 4. Ne fidas mihi, pungo....
D. G. „Tres plenas“ medici crebro praescribere suescunt.

41.

1. Tempore prisco disceptabant, an licitus sim?
Rixabantur frustra de lanaque caprina:
Qui non curat quod laudabile quodque decens est,
Vel stet, vel sedeat, vel currat, peccat ubique.
2. Unguibus armatus, villosus, trux rapidusque,
Informis, saevus, terribilis atque vorax sum.
D. G. Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Nonne hunc artificem testem proponere fas est?

42.

1. 2. 3. Parvula cum sociis — nam magni est quaeque laboris —
Ore trahit quodcunque potest atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
4. 5. Verbum hoc non paucum, nec paucos indicat unquam;
Copia tantum digna est nomine.....
D. G. Totum nostrum, vi quis mundum cogitat omnem,
Terrae nostrae omni jure appellatur imago.

43.

1\. 2. Specta nos! deducere filum disce puella!
3\. 4. 5. Crassum saccos, sed subtile indusia praebet.
𝔇. 𝔊. Vobis, non nobis, textrices, texitis huncce
Pannum, quem quaevis mulier contemnit et odit.

44.

1\. Igneus hîc sol non oritur, non occidit unquam;
Noli mirari, si frigus maximum adest hîc.
2\. Luceo, sed fallor, cave! non semper fuit aurum,
Quod nituit....
𝔇. 𝔊. Quid coelum noctu saepissime jam rubefecit?
Verum est; multa sciunt physici, ignorant vero plura.

45.

1\. Jam dudum plerique abierunt, syllaba quando
Illorum titulo haec praemittitur; unus et alter
Vix vivit......
2\. Non audet timidus, sequitur naturam, ea nunquam
Me utitur.....
𝔇. 𝔊. Non me habuit Deus, ast habuerunt caetera quaevis.

46.

1\. 2. Voces innumeras edo cunctasque canoras.
Davides citharam, praeclarum nomen adeptam,
Fregisset, si me novisset, quod scio certe.
3\. 4. Unicus utitur interdum me, tamque scienter,
Ut jussu ejus cuncti saltent......
𝔇. 𝔊. Omnino unica nil praestat, sed consociatae:
Sic miles non vincit, sed exercitus omnis.

47.

1\. 2. Omnibus in terris est innumerabilis haec gens,
Est imitatorum pecus.....

3\. 4. Illa ego, quam Deus, et quam quisque homo postulat a te,
Et quam debemus cunctis.....

𝔇. 𝔊. Sint omnes matres sapientes, meque carentes.

48.

1\. 2. Adspice nos, quaeso, prognata sumus sine matre,
Est truncus pater, obstetrix vero serra....

3\. 4. Mens mihi ferrea: non ineo, non exeo, si non
Cogor.....

𝔇. 𝔊. Hoc tibi suadeo, si non vult intrare priores,
Tu ferias caput ejus.....

49.

1\. Me dare quilibet est promptus; parere sagaci
Est solum sapientia vera.....

2\. Non extra, verum intra quaeras gaudia vera.

𝔇. 𝔊. Ascendunt sapientes, sed sapientior omnis
Descendit........

50.

1\. 2. Amentes sunt, qui nos non existere credunt;
Amentes, ajo, nam solum corporei sunt.

3\. 4. Quam cupide me post multos magnosque labores
Desiderat fessus!....

𝔇. 𝔊. Qui me possidet, ille pavebit tempore nullo;
Accidat hoc aut illud ei, semper manet idem.

51.

1\. Si tibi iter facienti dux est syllaba nostra,
Circulus est, quem tu facis.....

2\. Nunc sum longus, nunc sum curtus. Testificari
Nonne id equi possunt?....

𝔇. 𝔊. Si quid narratur, totum vix est tolerandum.

52.

1. Non minor est horum numerus, quam maris arena;
Tot sunt — est verum — quot in aethere sidera lucent
Millia. Cunctos unicolores — rara cohors est —
Quotidie nos cernimus, ignea si venit aestas:
Frigida hiems necat omnes.....
3. Garrio, musicus et celeberrimus, ut bene scis, sum.
Tempore nocturno vernali cum sociis me
Audis. Musica, nonne est excellentior ullâ?
Audeo Apollineos prae me contemnere cantus.
D. G. Vaticinator sum, qui vobis dicere possum,
Utrum nubila tempora fiant, an vero clara.
Quare templa mihi aedificatis vitrea saepe
In vestris conclavibus et mihi sacrificatis
Muscas, qui scala sedeo deus....

53.

1. Si me transis, in fluvium facile incidis, ergo
Attende......
2. Circulus ille est, qui circumdat dolia quaevis.
D. G. Ecce! jocos non exspectatos, sed bene salsos
Ingeniosus saepe ex me feliciter edit.

54.

1. 2. Arbor nos fructus fert; quas vis elige, rubras
Aut nigras. Trahimus nonnullae nobile nomen
A corde.....
2. 3. Me velis haurire ex fonte et vitare paludes;
Sic poscit valetudo....
D. G. Me bibe, sed non, ut relevare sitim velis; ut tu
Corrobores stomachum bibe et utere me medicina.

55.

1. 2. Vae mihi! discedunt stellae. Noli lacrymare.
Ecce, salutat te sol....

3. Forma rotunda mea est, sed pictor acumina pingit.
𝔇. 𝔊. „O, mihi clarus si prodiret!“ — sic petit aeger,
Nec non relligiosus.....

56.

1. Me gignit nunc femina, nunc manus artificis. Sum
Curvus curvis, rectus rectis, latus opimis,
Nec non augustus macris et cuilibet aptus;
Claudico cum claudis, et transversis pedibus qui
Ambulat, illum et semper transversus comitor, nam
Omnibus omnia sum. ...
2. Conjungo sejuncta ego firmiter, instar amoris.
𝔇. 𝔊. Amisit saltans olim me regia virgo,
Et signum factum sum (quod quis nescit?) honoris.

57.

1. 2. O vos, quas vates frustra saepissime adorat,
Si vos illi non succurritis, est opera omnis
Perdita....
3. 4. 5. Nomen barbarum, at est, quod signat, cuilibet inter
Nos bene notum. Nam quis quovis non emit anno
Hunc librum?
𝔇. 𝔊. Ecce poëmata! Sunt bona, sunt mala Praeterit annus,
Et nova jam gignuntur. Nam, quam fertilis omnis
Est, qui carmina fingit!

58.

1. Huic regno dominatur callidus ille Cupido.
Omnes solus vincit, non ille indiget ullo
Milite....
2. 3. Huic regnanti opus est autem armato agmine magno,
Si vult vincere.....
𝔇. 𝔊. Nunc vincit, nunc vincitur, ut mutabile fatum
Fert in ludo.....

59.

1. 2. O pueri petulantes, dicite: vosne timetis
Praeceptorem? Non timet ullus, nosque timemus
Durum ejus sceptrum......
3. O petulans puer, ex qua causa adeo properabat
Bestia, quae macra est et claudicat, in qua equitasti?
Non timuit me, sed durum sceptrum metuebat.
D. G. Ecce! viros, pueros equitare in arundine longa
Nonne vides?.....

60.

1. Non homo, non fortis leo, nec me callida vulpes
Possidet. Est equus ille superbus, est asinusque,
Expers ingenii, qui, solus praeditus exit
Me, ex stabulo.....
2. 3. Vilior argento, fateor, tamen utilior sum.
D. G. Adjutorem qui me habet, is calcat pedibus me.

61.

1. 2. O, tu nomen amatum, tu dignissimum honore!
Inconstans, mutans amor est: te non fugit unquam,
Verum permanet in te, et non mutabitur unquam;
Deserit indignos amor, at non deserit illos,
Quos te jam natura docet constanter amare.
3. Est donum naturae, per quod comparat ille,
Qui illud possidet, inter se res. Rideat alter!
D. G. Paulum, quod natura dedit, jam plus valet illo,
Quod (sit copia magna) ex libris tu didicisti.

62.

1. Conveniunt hic, ut jugulent se, millia multa.
Fini, mi Deus, horrida bella hominumque dolores!
Tu solus miseros potes alma pace juvare.

2. 3. Nonne animo tua cuncta negotia? Dilige semper
Me. Confusio perdit et impedit omnia coepta.
𝔇. 𝔊. Stant legiones hic, ferro mortique paratae.
Jam litui clari concursus signa dederunt.

63.

1. Ajunt: est proprium auro dignum, dimidium orcus
Dimidius .....
2. Sic sapiens vir saepe vocatur vi tituli, quem
Prae se fert. Mirare: interdum me dare nescit.
𝔇. 𝔊. Natura est curtâ contenta .....

64.

1. Quilibet indiget hoc; ast permulti nimis uti
Illo consueti sunt: hinc pingues stupidique
Fiunt ....
2. Quilibet indiget hoc; ast permulti nimis uti
Illo consueti sunt: hinc fiunt titubantes.
𝔇. 𝔊. Interdum datur, ut nequeant sentire dolorem.

65.

1. Quam bene, care! potes me, si proficisceris, uti
Aut comite, aut, si tu lassus requiescere debes.
3. Est numerus nostrûm, ut stellarum, sicut arenae,
Innumerabilis, et, quis sim, non dicere possum,
Nam careo lingua ......
𝔇. 𝔊. En, careo capite, ex quo migravi e patria. Sed
Dicas: nonne mihi similes multi, facientes
Longum iter?

66.

1. 2. Num stomachi vestri nunc latrant? Sitis alacres,
Jam fumant! .....

3\. 4. Si mercator, cui debes, mittit tibi me, tunc
Nummos quaere ....
𝔇. 𝔊. Lectio nulla — absint libri! — jucundior hac est!

67.

Prima mihi lepidis blanditur portio dictis;
Posterior foedo vilis odore mihi est.
Prima trahit vitae causas; exsibilat illas
Ultima. Crede, fuit, qui caret alterutro.

68.

1\. Posterius — quis nescit? — non est quaelibet harum.
2\. 3. Harum quaelibet est cupida, ut fiat prius; ergo,
𝔇. 𝔊. O carissima, cura, ut posterius maneas; mox
Forte prius fieri poteris .....

69.

1\. 2. „Si quisquam quaerit post me, jam jam adfuit ipse"
Sic tritum proverbium ......
3\. 4. Naturam expellas per me, tamen usque recurret.
𝔇. 𝔊. O vetula, explora! nam sic se tempora mutant:
In me equitabas olim noctu more equitum tu;
Nunc sede sede tua, aut pedibus proficiscere claudis.

70.

1\. 2. Dixerunt, quum se jungebant femina masque:
„Nulla dies pacem hanc sacram, nec foedera rumpet,
Quo res cunque cadant, nec vis nos ulla volentes
Avertet, non, si tellurem effundat in undas
Diluvies tristis, coelumque in Tartara solvat."
Talibus inter se firmabant foedera dictis:
Quaeso, dic mihi foederis hujus nomen amoenum!
3\. 4. Pravi, qui foedus violabant, desiderant me.
𝔇. 𝔊. O, si non uotum esset detestabile nomen!

71.

1. Si festinas, utere me, mi care viator.
2. Unum sum; pluralem tu cave, coece marite.
D. G. Hacce tuba cantant affines: „solvite nummos."

72.

1. Utere me, sole orto adsum; quando occidit ille,
Non adsum......
2. Aufuge, parvule nequam, nam jugulabere certe;
Magnis janua aperta est....
D. G. Innumeri sunt; si vultis suspendere quemque,
Patibula erigite: est laqueo quivis bene dignus.

73.

1. Est nitide caput exornatum, ut femina comta
Sese odoratis et bellis floribus ornat.
Esto sub tecto, accipe, quod tibi praebeo, grate,
Et requiesce et dormi, cunctas elice curas.
Longe produco vitam, usque ad Nestoris annos.
Debitum ego raro naturae solvere possum,
Nam morior per vim plerumque meque enecat ensis.
Omne cadaver majores nostri igne cremarant:
Hactenus hic in me mos antiquus renovatur.
Me meritum deplores et cineres venerere.
2. 3. Spissae his in terris essent atraeque tenebrae,
Nilque hominem, praeter nos, posset reddere doctum.
Qui populis praeestis, o curate salutem
Nostram; nulla aliâs salus est vera invenienda:
Hic, populi, fons doctrinae est vitaeque beatae.
D. G. Qui cupidus jam nunc fructus vult, displiceo illi.
Te satia spe, non fallit, certissima spes est:
Qui nunc succrescunt, tu mox spectabis adultos.
Quando emigramus, fructus mox colliget ille,
Qui in cultum teneros juvenes nos suscipit arvûm.

74.

1. Huc demigrant omnes in patriam redeuntes.
2. Vae tibi, si sentis, vel si vates minitatur.
D. G. Hunc morbum nullus medicus bene scit relevare,
Suntque Lares soli atque Penates, qui auxiliantur.

75.

1. Si bonum amicum opto mihi, quem quovis ego possum
Tempore visere, qui risus mihi concitat, atque
Mecum plorat, nunc sales, nunc seria dicit,
Me docet et sincere profert omnia, quae scit,
Et qui praeterea — tales raro inveniuntur —
Colloquitur mecum quavis lingua, placeat nunc
Haec, placeat nunc illa mihi: hunc ego si volo amicum,
Eligo te.....
2.3.4. Si tu non premere atque premi vis, effugias hinc!
D. G. Aetas aurea quum fuerat, tu tempore fausto
Nondum aderas. Illud felix genus atque beatum,
Si te non caruisset, multo doctius etiam
Tunc fieri potuisset, auctoresque fuissent
Plures, lectoresque fuissent undique plures,
Denique plures illorum, qui scripta recensent.
Aetas aurea erat sine te miserabilis aetas.

76.

1. 2. 3. O miserae! vos insectantur tristia fata.
(Sunt vobis interdum homines similes, bene digni,
Qui observentur). Detrahitur cutis et, quod iniquum est,
Vi magna exprimitur sanguis crudeliter omnis,
Abjiciturque cadaver, inutile pondus....
4. Uvas non producunt spinae; carduus edit
Nunquam ficos. Scito, me cognoscere debes
Ex pomis....
D. G. Quidnam sit totum? est pater infantum miserarum,
Quas supra descripsimus.....

77.

1\. Hic natus fueram, hic adolevi, Nestoris annos
Vixi et per vitam non mutavi locum, et omnes
Fratres juxta habitantes (o, sunt millia multa)
Servant hunc morem.....
2\. 3. Quare tantus inest fastus tibi? Num tua vestis
Inflat sensum? Nonne alios jam, legitimi qui
Possessores ante fuerunt, veste calente hac
Vestivit natura?......
D. G. Fructus in arboribus crescit, sed non cibus ille est.
Vestes conficiunt ex illo. Olim foliis se
Ficulnis texerunt, sed non haec puto: vestes
Sunt solidae,, quas quilibet induit hisce diebus.

78.

1\. 2. Olim castae, integrae, non vitiis maculatae,
Frugales quaerebantur, sed non ita nostro
Tempore. (Virtus post nummos!)....
3\. Caute vincit fortes, vincit moenia firma.
Tempore belli, tempore pacis plus valet haecce,
Quam totae vires.....
D. G. Supremus gradus est haec posterioris, eamque,
Optime amice, caveto.....

79.

1\. Circumcludo pagos, incola me colit, illum
Nutrio.....
2\. Femina sum, verum semper mas — saepius id fi —
Uxores plures habet.....
D. G. Possum delectare palatum — quilibet hoc scit —
Sed non quotidie; testatur fabula nota.

80.

1\. Per varias res infertur tibi, sed, gladio ne
Accipias, cave, letiferus tibi nam facile ille est.

3. 4. Exhalat nos moestum, nec non pectus amore
Captum. Hic, qui vult, rideat; illic condoluisse
Officium est.....
D. G. Exprimit angor talia curta precantia verba.
Alme pater, facilem vultum ne averte precanti!

81.

1. Ne te fallam, discas me cognoscere; namque
Callidior me non est......
2. Post possessorem, sed non sero, venit unquam
D. G. Totius pars — miraris me? — est longior ipso.

82.

1. Fallit, ne fide illi, nam fallacia magna est.
Est simulator, dissimulator, quamlibet ille
Prae se fert vultum rectum.....
2. 3. Cur fles? venit, vidit, vicit, jamque beatus.
D. G. Non est, esse videtur.....

83.

1. 2. Vivetis tuti, nisi fata inimica aliud jam
Contra decreverunt, vestris montibus altis.
3. Sis patiens! Nam non tibi soli contigit illud:
Ars mulgendi tempore nostro est maxima; cuncti
Mulgemur.....
D. G. Corpore crasso est atque gerit distentius uber.

84.

1. 2. 3. Si tibi, felix, est natus feliciter infans,
Et reperisti me nondum, quaeras properanter,
Ut nomen des illi, quem peperit tibi amata,
Accipiatque meum munus, mox cochlear illi
Ex argento donetur......

4. Si quem quaeris, qui proficiscatur peregrinos
Ad cognatos et referat secreta fidelis
Et tectus, non dicta foras eliminet unquam:
Elige me......

D. G. Est meus eventus varians, nunc laetifico, nunc
Terreo; quis nescit?

85.

1. Sum spectro similis: magnum facio strepitum, quem
Audis, sed me non cernis, quamquam tibi saepe
Nocte dieque adsum......

2. 3. Valde rivos et fluvios amo, namque movere
Me possunt facile et sine motu non fero fructum;
Sed soror......

D. G. Montes eligit altos, nam de gustibus — ut scis —
Est non certandum: fluvios amo, ventum amat illa.

86.

1. Veste tua me saepe offendis, inutilis autem
Sum tibi, syllaba quae sequitur si deficit illa.

2. Veste tua me saepe offendis, inutilis autem
Sum tibi, syllaba quae prima est si deficit illa.

D. G. Jam scis: posterius porta est, patet et prior intrat.

87.

1. 2. Vos miracula fecistis, carae, innumera olim.
Ast omnes mundus vos ingratus relegavit.
Nulla superstes est......

3. Currunt, exsiliunt, sese torquentque retorquent;
Insanire videntur. Quonam nomine gaudet
Haec dementia, quae capit illos?....

D. G. Gaudent matronae et saliunt; non unicus est vir
Praesens......

88.

1. Quisque famem relevare potest, panem comedendo.
Dira fames, quae desiderat me, nonne sacra illa?
Fraudis nonne illa est fons cunctorumque malorum?
Est procul a me culpa omnis, nam labe carens sum,
Purum et justum. Persuasus sis, me esse probatum.
Examen rigidissimum ego non horreo; terret
Non lapis, et non terret me ignis......

2. 3. Alta ut fiam, sit tua, fossor, cura, maligne!
Cui fodis? Edic: nonne tibi ipsi?....

D. G. Me regi praebet natura, industria cuivis.

89.

1. 2. Conqueritur de me in majore gradu miser omnis.
Heu! gemit et plorat, torquens oculosque manusque.
Commiserans misero succurras, si potes, illi.

3. Tu montes aequa terrae, quae subjacet, et non
Adsum ....

D. G. Hoc mundo moestum cognomen quis dedit? Estne
Democritus? non, est Heraclitus.....

90.

1. 2. Cochlear est illis proprium, temnunt tamen omnes
Escas, delicias dulces, ipsas quoque ficos.

3. Diversum genus est, sed semper forma rotunda.

D. G. Femina habet decora innata, haec videt ejus amator;
Adnumerandi non sumus illis.

91.

1. Femina praecedit: testatur syllaba prima.

2. Post hanc vir sequitur: testatur id, ecce, secunda.

D. G. Est bene barbatum totum speciesque virilis;
Saepe est praedita cornibus et, si praeterit, eheu,
Quam foetet!

92.

1. Mortalis non desiderat me, me fugit omnis,
Sed scit, cur timeat; nam, si mihi forte propinquat,
Quando sunt patefactae fauces, instar hyaenae,
Quemvis devoro. Non satior, stomachumque latrantem
Nil lenit, quamvis et millia multa vorarem.
Ne timeas! metus etsi magnus, vincitur omnis
Virtute. Ast ego, cunctis terror, sum tibi amicus:
Omnis, qui vitae pugnam pugnaverat ante
Forti animo, fessus posthac in pace quiescet.
2. Parturiunt gravidi docti, postremo ego nascor,
Mons rarissime, sed saepissime ridiculus mus.
𝔇. 𝔊. „Siste gradum!“ si non legitur transitque viator,
Optime, dormi in lucem apparentem sine cura!
Nonne odisti per vitam mendacia semper?
In tumulo lapis absit, sic levior tibi terra.

93.

1. 2. Versicolores nos sumus, ast est optima nigra,
Quod scribentibus est bene notum....
3. Optime, gratulor ex tota tibi mente mihique,
Hoc vino antiquo si plenum est. Nonne libenter
Invitabis me?....
𝔇. 𝔊. Nullius frugis scriptores evacuant te
Saepius illis, qui nos erudiunt. Tibi parcas,
Et fias siccum, ne chartam perdere possint.

94.

1. Vae pedibus! nam crudelis dolor ardet in illis,
Quem Venus et Bacchus procrearunt....
2. 3. Displicuit variis res publica floribus olim:
Elegerunt me reginam.....
𝔇. 𝔊. Inter odoratos hortus me ipsam quoque flores
Monstrat; magna ego sum, rubeo tingorque colore.

95.

1. Nil est latius. — 2. Et levius nil. — D. G. Evome suavem Odorem ex me....

96.

Dum totum recreat, vertex rogat, ultima rodit.

97.

1. 2. Montes me genuerunt, ast industria servi,
Altos montes qui fodit, est mater mea. „Nobis
Dic, ubi tu plerumque domi es?“.....
Aut in nasis, aut in libris atque culina.
3. Sum dominus, totum mundum qui dirigit, ergo
Sit mihi honor!......
D. G. „Vis me? sive aspernas tu me?“ dic mihi, avare!
„Non aliud quando video, tu carius es, quam
Nullum“.....

98.

1. 2. Aetas aurea quum fuerat, nemo indigus hujus
Officii fuit. Omnes in concordia semper
Vixerunt, sed nunc rixae et discordia prava;
Infaustos reddunt vos, vos dementia cepit:
Currite certantes nunc ad me!......
3. Fesse, quietem si vis, sedem tu cape, nam sto.
D. G. Sedes sacra es; corruptus nunquam sedeat te!

99.

1. Nomen Caesaris est, sed non Europa vocat sic
Hos dominos summos....
2. Omnino licitum est, sed neglige seria nunquam.
D. G. Falsum nomen: nil est nempe severius illo.

100.

1. Te tego tute, sed ne me post vulnera sumas.
2. 3. Valde opus hac est, ne subito in nos irruat hostis.
𝔇. 𝔊. Quilibet est bonus, ex quo tu quaeris, tibi amicus.

101.

Dat natura priorem, ut nos placidam capiamus
Omnes posteriorem. Infelix dicitur ille,
Toto qui caret.

102.

1. „Vae stupidae mihi! nunc lacrymas effundere capta
„Debeo." — Ne plores, sapientes et capiuntur.
2. 3. Est opus esca; non capies per me sine ea quid.
𝔇. 𝔊. Ponunt me (insidiatorum sunt undique multi).
Sic avibus pedicas et retia ponere cervis
Cousuescunt. Quidnam capient?.....

103.

1. Impedio delicta et quod tibi dedecori esset.
Magna custodî me cura, nam vitiis te
Dedes omnibus impavide, si deserui te.
2. 3. Interdum mane, interdum me vespere cernis
In coelo; in terra color, etsi discolor, adsum:
Adspice flores, vestes atque animalia multa.
𝔇. 𝔊. Conscia purpureus color illi venit in ora.

104.

1. Nonne times? Strepitus magnus magnusque tumultus
Auditur. Jam nos ipsos audire nequimus.

2. 3. Te, quis nostrûm non adamat, mea amica quieta?
Abs te non auditur clamor, non strepitus fit.
𝔇. 𝔊. Hic se conjungunt (rarum est) contraria, amice.

105.

1. Adspice mortales, quos noscis, nonne queruntur?
Ipsi se vexant, posset vel bestia flere.
Est igitur solamine opus, quod quaerite, tristes.
Sunt consolatores, quos ego temnere nolo:
Inter cunctos sum certissimus. Elige, moeste,
Me; curas pello vitiosas, laetifico omnes.
2. Alti spectator coeli, me visere debes.
Tu quoque, terrarum spectator, visere debes.
𝔇. 𝔊. Qui colitis me, vobis sudor manat abunde.
Exspectate! erit autumnus, qui munere largo
Vos recreabit......

106.

1. 2. Ingenii domus, alte et magnifice aedificata
Hic est. Ecce fenestras claras, ostia plura!
Attamen interdum vacua est et non habitata.
3. 4. Quod praeceptor tradit, discit discipulusque,
Hocce vocatur nomine.....
𝔇. 𝔊. Doctrina unâ cum doctore oblita videtur.

107.

1. Non fluvium rapidum, qui destruit arva domosque,
Te cano, qui tranquillus, quamvis garrulus, anguis
Instar, per vallem repis, recreans mea prata.
2. 3. Qui pedibus sanis et certis signat humum, ille
Gaudeat et miseretur eum, qui pro pede caeso
Ne indiget.......
𝔇. 𝔊. O, quam vivida, muscas captans, saltat ad amnem!

108.

1. 2. Vivebant, vixerunt, vixerat unus et ejus
Uxor primo. Patribus his et matribus usus
Sum......
3. Qui meruit bene de illo aut hoc, aut de patria, illum
Hic decet omnino. Ast, si quis nulli benefecit,
Illique a nulla parte est memorabile nomen,
Attamen est inflatus per me, mente carens est.
D. G. „Cur ventosus fastus agit te? Forsitan est, quod
„Magnas res gessisti?“ Non; atavi.....

109.

1. Nos conjuncta cohors nocturno tempore stamus,
Nos stamusque diurna, custodire parati,
Quae tua sint, et cuncta pericula non fugitamus;
Non capimus mercedem, illam non desideramus.
2. 3. Est varius sub luna hominum status ordoque ubivis;
Nam nos hos dominari, illos servire videmus:
Pone omnes homines ex ordine, quis superat me?
Longe praecello omnibus, unicus altior est me.
D. G. Est titulus, quem contribuunt parvo mihi, vanus;
Non reditus mihi fert, sed semper sum sine cura.
Quotidie Deus est, qui clemens prospicit omni,
Qui nutrit me. Pone querelas et cane mecum.

110.

1. 2. Tempestatibus erecti obstant temporibusque,
Et pelago et terra. Heroes sic impavidi stant
Contra hostes.....
3. 4. Propria natura est mea, non similem invenietis:
Aestu sum gelidus magno, sed frigore magno
Sum calidus.:....
D. G. Hoc templum potoribus est sacrum; hic pie adorant
Aestate......

111.

1. 2. Est hostis tenebrarum; donec eae dominantur,
Non apparet, sed venit illico, quando recedunt.
3. Elige, cantor, laetum, moestum, namque poëta
Servit cuilibet.....
D. G. „Evigila mea mens!" cane.....

112.

1. Difficile interdum est mihi, onus tolerare diei.
Omnia pertaedent me; seria sunt odiosa.
Gaudeo, quando optata ad lassum vespera venit,
Atque adventus convivae laeti exhilarat me
Tecum, quem filium argutum ingenii vocat omnis
Ridens, cujus fratrem insulsum quilibet odit.
2. 3. O, si molesti pedibus quiddam daret alas
Hospitis! avolet! ut tu, me aperiente fenestram.
D. G. Omnino, multum laeto risum excitat omni;
Omni tristi est intolerabilis, aufugiatque
Mordaces satiras dicens, nam laedit amicos.

113.

1. 2. Verum est, non sumus ipsi, sed similes sumus ipsis.
3. 4. Nummos antiquos nummis novioribus ante
Qui ponit; qui pluris, quam cuprum, aestimat aurum;
Qui mavult haurire ex puris fontibus, et qui
Historiam cupidus discendi est temporis ejus,
Quo vixit genus id felix in origine mundi,
Mox depravatum (fuit ejus propria culpa);
Qui magni aestimat afflatorum carmina vatum,
Atque virorum vera docentia dicta prudentum,
Eligat hic me doctorem....
D. G. Et quibus ignota est omnino litera quaevis,
Possunt me legere.....

114.

1. 2. Utor vacca matre. Est nonne ideo veneranda?
3. Sive austerum vinum includit, sive Falernum:
Posteriori te casu supplex veneratur
Potor......
𝔇. 𝔊. Vae tibi, quando pedes similes mihi sunt: erit hydrops.

115.

1. O, quam fervide amant te! Saepe, ut possideat te,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit.
Et similis tamen es tu pulchrae nonne puellae
Venali, quae — foedum dictu — mutat amatos?
Sunt cauti, qui te servant in carcere, verum
Illis (plaudo) non abs te conceditur usus.
Non omnis tamen exstinctus pudor esse videtur
In te. Qui rubet (interdum fit), hunc pudet etiam.
2. 3. Aufuge, nam quocunque venis, nemo invenit id, quo
Indiget........
𝔇. 𝔊. Dic, habitasne, timende, aut in domibus procerum, aut sub
Paupere ruricolarum tecto tempore nostro?
Hic ac illic; patria ubivis.

116.

1. „Claudite nunc rivos, pueri, sat prata biberunt."
Jam crescit, quod, si siccatum est, nomine, de quo
Quaestio nunc est, privatur. Tu crescere nonne
Audis?.......
2. 3. Parvula nequam! pungis me ore tuo atque susurras.
𝔇. 𝔊. Inclyta sum cantrix, mea patria silva virens est.
Forsan me vidistis in urbibus ante fenestras
Captam. Vos, homines crudeles, este benigni,
Atque recludite carcerem, ut ipsi (nonne petitum
Vestrum est?) sitis digni libertate.

117.

1. „Sordida sum, me quis lavat?“ Altera, plangere noli.
2. Alter, sive est interdum altera, cui datur hicce.
D. G. Admittuntur ad hunc, se credunt esse beatos.

118.

1. Syllaba nostra statum tibi terque quaterque beatum
Dat; quo qui fruitur, non est felicior illo.
Subjiciaris nunquam rebus, sed tibi cunctas
Subjicias......
2. 3. Quisque laboret (sis socius tu, sisve magister,
Discipulusve) omni studio; quisque aedificet sic,
Ac si temporibus pro aeternis hoc opus esset.
Sint lapides caesi bene calxque parata!......
Magni opifex mundi non vult operarium ineptum.
4. 5. Est locus, in quo quis remoratur; gallica lingua
Hoc nomen dedit illi......
D. G. Firme clausa est porta. Hinc tu discede, profane!

Dritte Abtheilung.

Aenigmata literalia et anagrammatica.

Buchstabenräthsel. Logogriphen. Anagramme.

1.

Sex elementa gero. Musarum filia, grata
   Auribus esca. Pedem deme, molesta gravor
Hospes; sique perit pes alter, filia magni
   Sum Jovis, atque potens regna guberna mea,
Quae non de mundo, sed quae coelestia splendent,
   Sed quibus et mundus paret ubique libens.
Deme caput: morior; trunco tamen utitur ipso
   Femina, quae fructum ceperat una sibi.
Redde caput, reseca caudam: sic quaero latebras
   Cauta, etsi insidias vito dolosque latens.
Si me convertas, sum, quod tibi denotat istud,
   Quod de se vivens dicere quisque potest.

2.

Nuper eram virgo, materque — Thalete fatente —
Mundi; nunc rigidis teneor connexa catenis.
Et solida, et fortis, par pondera magna ferendo,
Dum via fit flumen per me, gaudetque choreis.
Si me tela necant Phoebi, cito virgo renascor;
Si caput abscindas „lacies me" dicere possis.
Quid? lacio. Cur non collum mihi demetis ipsum?
In me truncavi, quod truncus Marte furente,
Et sine me nequeunt oculi bene cernere quidquam.

3.

Urbibus adnumeror. Si partem demseris unam
E medio, peperit me mater serva. Duobus
Signis amissis, sum rivus sanguine plenus.

4.

Nuntia res hiemis, sine ventre est filia flammae.

5.

Vox volat in silvis, nigro vestita colore;
Tolle pedem, calida est; frigida, tolle caput.

6.

Jam venit alma quies; si vero demseris unam
E medio partem, mox fugit illa quies.

7.

Ars vobis per me lapidaria gaudia praebet.
Litera si capiti caudaeque adscribitur una,
Objiciunt vobis terrorem cauda caputque.

8.

Arbor inest silvis, quae scribitur octo figuris.
Fine tribus demtis, res est pretiosior auro.

9.

En, peregrinus ego, non cultis moribus utor,
Sed frons culta viro, pes meus agricolae.

10.

Tolle caput, volito; arridet mea cauda tyrannis;
Integra sum venti ludibriumque maris.

11.

Quinque cibant, bis bina volant, tria stant, duo firmas.

12.

Est caput, est pectus, pedibusque incedere binis
Est mihi concessum; sunt mihi membra novem.
Si numeros quaeris, me vix numerosior alter;
Ex numeris oritur bestia sacra meis.
Si numeros demis, me vix est firmior alter;
Ipsa medulla manet, quin edo, clamo, loquor.
Pectoris et capitis quo significantia membra
Efficias, eadem quinduplicato pedum.
Vox est cassa caput; dicet cum pectore junctum:
„Otia dum fallo, tempus opesque tero."
Si pectus loquitur, clamabit „mî bona" quisque,
„Hosti permitto caetera quaeque meo."
Si pedibus muri desint aedesque superbae,
Virgulta atque casas, rusticus inquit, amo.
Adde pedem capiti, vitam jam dego beatam,
Membra quies recreat fessa sub arboribus.

Collige jam totum, defunctum lilia lugent;
Valles devastat bestia sacra, leo.
Primae verborum formae mihi quattuor insunt:
Quod facit os hominis, garrula tentat avis;
Quod bellatorum primo, quod convenit ipsum
Capro, quod manibus, quod quoque mente facis;
Aestum quod solis sequitur durosque labores;
Denique quo formam dura metalla gerunt.
Substantivorum divines nomina septem;
Adjectivorum nomina quaere duo:
Quae lepido sale tincta placent, quae turpia temnas,
Et quae vindictam saepe venena cient.
Quo vel non formosa placet dotata puella;
Quod noctes fallit, quo sibi Clotho placet.
Quo quis non nequit esse; animal, quod vellera portat;
Quo vulpes gaudet; qua leo magnanimus.
Adjice, quo linguam poteris recreare sapore,
Qui pueris teneris gratior esse solet.
Denique quos inter Caesar post fata relatus,
Quo jam Gallorum Caesar abire velit.

13.

Sum Dea cara tibi, crescens odiosa volucris,
Atque iterum crescens ars tibi suavis ero.

14.

Si legis hocce, legor, si scribis carmina, scribor.
Frons mea amat flores, caudaque stercus amat.

15.

Setigerae matris fecunda natus in alvo,
Desuper ex alto pastus exspecto virentes;
Nomine numen habens, si litera prima periret.

16.

Tota datur sponsae, sed **sine fronte** cani.

17.

Floribus elicio nectar. Si junxeris ante
   Quina mihi decies, molibus aptus ero.

18.

Tota hominum vitas credor superare novenas.
Sume mei **medium**, primum tunc vivere dicas
Postremumque mori. **Reliqua de parte** rogati
Respondent physici: ex tenui hanc prodire vapore,
Aëris acre gelu medii quem stringit in alto,
Propria praecipitem gravitas agit atque patenti
Inducit late quasi candida vellera campo.

19.

Dictio tota facit florem: primaque remota
   Literula, Phrygii moenia regis erant.

20.

Totus equos lasso; **medius**, quae causa? requiro,
   Atque iterum **medius** ducor amore luti.
Aemula cornutae si desit litera lunae,
   Thesauri volucrum sunt mihi pastus apum.

21.

Deme fero caudam, reteget placabilis artem.

22.

Patri dissimilis sum, oculis inimicus acerbis.
Corripe, dilataque tuum paulisper hiatum.
Cum cauda e cauda exibit fur incola cellae.

23.

Cum caput est demtum, illa duos nos semper habebit,
Quae repraesentant rem tetro nomine spurcam.
Millia tu centum vivas, geminando liquorem;
Quem si diminuas, totum illud pluribus auges.

24.

Res volat in silvis, nigro vestita colore:
Si caput abstuleris, res erit alba nimis.

25.

Si caput est, currit; ventrem conjunge, volabit;
Adde pedes, comedes, et sine ventre bibes.

26.

Sunt montes celsi; si litera demitur una,
Vivunt jamque volant mellificantque tibi.

27.

Mitto tibi navem, prora puppique carentem;
Mitto tibi metulas: erige, si dubitas.

28.

Vox quaedam ruris tribus est conscripta figuris.
Fronte Deum demta signant; alvoque remota
Millia praecedunt, sed quinquaginta supersunt.
Quae tu si demas, certum pronomen habeto.

29.

Est Deus, est serpens, capitisque insansa cupido
Mortales angit, crimina quaeque jubet.
Unum et signa decem, quinque artus jungimus; uno
Hinc auge primum, bina placent reliquis.

Ultima, quae tria sunt, audacter junge secundo,
Est tibi, quae lites questio saepe movet.
Primaque, quae tria sunt post primum, his adjice primum,
Est tibi, quod vivit, quo sine quidque perit.
Tres nos postremi, postremo dimidiato,
Efficimus, quod vi gutta cavare nequit.
Pumice duritiem pellas, dum raseris unum,
Est tibi, quod nobis, non sibi, mellificat.
Pumice postremum radens vertas, puer, artus,
Et lusum lepidum forma rotunda dabit.
Producas primum, si condimenta terenda,
Si fulcris regum vis stabilire domus.
Sed ne post primum postremi sit locus alter,
Quod leviter pupugit, dente nocere potest.
Quae sunt in medio quinque eripe et ultima verte;
Quatuor hoc quae sunt ultima rite vacant.
Quatuor his media injicias medium atque secundum,
Hoc ornamento pertica quaeque vacet!
Sufficere haec possunt, sed, si scrutaris, aquarum
Congeriem invenies, displicet illa tamen.
Invenies hominis membrum, membrumque volucris:
Signum adde, et fallax hinc tibi ludus erit.
Invenies machinam, quam rusticus admovet altis
Arboribus, facile quo sibi poma legat.
Setigero nemorum cultori retia tende,
Indagaque agnis exitiale genus.
Quod facit, ut quid sit; quo fallimus otia; casus;
Ejice cor, gaudet virque puerque dato.
Sacrilegae poenam necis erue, fuffocat ipsa,
Aucta cutem pungit, pungit et altera pars.
Unum jam superest: sint, si conscenderis altos
Europae montes, praemia justa tibi.

30.

Totus flavesco, licet ultima saepe rubescant.

31.

Dextra tuli malo toti mala plurima mundo:
Laeva sed e contra gaudia mille tuli.

32.

Integra mensuram, sine vertice denoto crimen.

33.

Principio rogitat, Cererem sed fine ministrat.

34.

Invictis animis invictas robore gentes,
Servos ac servas dura eripuere catena;
Bellacisque gerunt in pectore nomina regis.

35.

Vertice principium, planta sed denoto cantum;
Integra dum fuero, nubila vasta seco.

36.

Cornua mî, sed, si caput aufers, dente nocebo.

37.

Dum totus rubeo, sine vertice spiro venenum.

38.

Quod sibi nolebant parci licuisse Latini,
Exibit, primo si vertice millia tollas:
Omnia si sunt hic, cur omnibus addita mille?

39.

Qui paucis datus est, omnes sed habere putant se:
Dimidium tollit, quod toto significatur.

40.

Integra vel mando flatus, vel cingo galeros;
Si duo sustuleris, perfuribunda fremo.

41.

Dum genus humanum truculenta fluenta necarent,
Et nova mortales mulctarent aequora cunctos,
Exceptis raris, gignunt qui semina saecli:
Primus viventum perdebam foedera juris,
Imperio patris contemnens subdere colla,
Unde puto dudum versu dixisse poëtam.
Abluit in terris quidquid deliquit in undis,
Nam sobolem dapibus nunquam saturabo ciborum,
Ni prius in pulpis plumas nigrescere cernam. —
Litera tollatur, post haec sine prole manebo.

42.

Seria non tracto. Fons hoc fert. Pes habitatur.
Regis eram nomen tempora multa. Sat est.

43.

Terra meum imperium per plurima saecla ferebat;
Si me convertis, fert juga mundus adhuc.

44.

Dimidium sphaerae, sphaeram cum principe Romae
Postulat a nobis conditor ipse Deus.

45.

Doctus es, haud bonus es; bonus es, si vis ITA, nempe
Ingenii VI, non ES bonitate bonus.

46.

Integra dum tueor, multos sine vertice perdo,
Et tria dum volitant, posteriora canunt.

47.

Artificis studio coelum dum tota figuro,
Telluris faciem posteriora tegunt.

48.

Adde caput, si saxa velis, si mella, repelle;
Si sapis, id muta, sic rapis atque capis.

49.

Non tuus est, si sustineat talare galerum.
Solus erit, comitem sibi si trahat ipse galerum.
Ast caput et medium et comes ad vestigia juncta
Aedificant. Animal, sed fur, sine viscere fiet.
Ultima quinque abiens linquet dictator aratrum,
Et tenui exemta magnos vehet inde triumphos.
Tum peditum ostendet servum, modo tolle secundam.
Exciso capite exsiliet fera, barbaricus bos.

50.

Tota volat, tota et graditur, quin tota natabit.
Irritata apicem imponat canis, haud volat. Aufer
Atque hunc atque illum, qui jam fuit, ipse natabis.
Quod si dimidium tibi forte supervenit usus,
Obtura, tetro si quando inundis odore.

51.

Quinque placent ori, sed quattuor aëra scindunt,
Tres currunt, referunt murmura rauca duo.

52.

Si jungatur Equo Briareus, Rana, Ibis, Echinus,
Taurus, Aper, Satyrus: quid fieri inde putas?
Monstrum, quo toto nihil est deformius orbe,
Deliciae juvenum, deliciaeque senum.

53.

Principio canta, superato flumina planta
Membra sed integro nudificata tege.

54.

Ore canit; toto sed dirum corpore monstrum;
Integra mortales stultificare queunt.

55.

Vertice dum psallit, permultos corpore damnat;
Sunt alae ternis, psallare bina parant.

56.

Integra vox toto deflebor tempore vitae;
Dum medium perdo, lauta ministro gulae.

57.

Amnis sum totus, sine plantis funere pascor,
Infaustum truncus constituetque ducem.

58.

Integra splendescit luxu, sine vertice cantat.

59.

Integer indomitus, tollas cum vertice plantam,
Jam fera silvigenas quaeritat usque dapes.

60.

Dona Jovis fessus damnat quae tota tonantis,
Horum dimidio sine non valet esse viator.

61.

Cum caput est demtum, illa duos nos semper habebit,
Quae repraesentat rem tetro nomine spurcum.
Millia tu centum vivas, geminando liquorem.

Vierte Abtheilung.

Miscellanea.

Allerlei.

1.

Echo.

Dic mihi, Nympha, cavis habitans in vallibus, Echo:
Semicaper Faunus cur ita clamat? amat.
Quae tamen illa, furit cujus male sanus amore?
Divitis an Codri filia, Nais? ais.
Est opulenta quidem, sed turpibus obsita rugis;
Debuit hanc bifrons ducere Janus? anus.
Candida me vero Taumantias urit amantem.
Cujus forma decens et generosa: rosa.
Hujus amore flagro, sed dic, resonabilis Echo,
Quae res ergo graves sunt in amore? morae.
Ver est conveniens blandis et amoribus aptum,
Vere novo sponsum me fore reris? eris.
Interea gelidis in vallibus ipsa valeto:
Vox tua saepe mea voce sonabit: abit.

2.

Deklination des Wortes Aula.

Aula tubis gaudet, Mavortem suspicit aula.
Proprius est tumidae risus Sardonius aulae.
Aulae nulla fides, non tute creditur aulae.
Aula malum exitiumque placens bene dixeris aulam.
Aula cave, tu corda virûm saepe occulis, aula.
A Jove et horribile est praelustri fulmen ab aula.
Laudibus extollunt colaces et honoribus aulae.
Praecipites poenae benefactaque lenta aularum.
Vive tibi, servique Deo, male vivitur aulis.
Vincere si cyathis nescis, fuge, si sapis, aulas.
O ter felicem, qui vos vitaverit, aulae.
Nam praeter damnum nil asportamus ab aulis.

3.

Deklination des Wortes Puella.

Semper dulce fuit malum puella.
Et vox blanditiis potens puellae.
Si quis crediderit semel puellae,
Post lusus odiis habet puellam.
Et moerens ait, o, vale, puella.
In tota nihil est boni puella.
Pejores cane sint licet puellae,
Mos gratus tamen est puellularum.
Et stamus fide supplices puellis,
Et donis emimus datis puellas.
O felix genus, o docens, puellae.
Divellet juvenes quis a puellis?

4.

Die drei Zeitformen des Verbum.

Quod fuit, est et erit, perit articulo brevis horae,
Ergo, quid prodest esse, fuisse, fore?

Esse, fuisse, fore, tria florida sunt sine flore,
Nam semel omne perit, quod fuit, est et erit.

5.

Bibo

nach seinen verschiedenen Zeitformen betrachtet.

Tempore praesenti careo, nam copia vini
Praesentes animo non sinit esse sibi.
Est imperfectum, nam qui mera multa biberunt,
Multa imperfecte, nil faciuntque bene.
Est quoque praeteritum, nam tempus inutile potis
Praeterit et nunquam, quae fuit, hora redit.
Plusquamperfectum docet hydrope debile corpus,
Artritis, tussis, curva podagra, phtysis.
Nunc age, nunc bibulis dic quale sit ergo futurum?
Arca levis, cita mors, judiciumque grave.

6.

Musikalischer Denkspruch.

UT RElevet MIserum FAtum SOLitosque LAbores
Aevi: sit dulcis musica noster amor.

7.

Arithmetisches Gebet.

Non rhetorice, sed arithmetice orandum est: ut, qui per ADDITIOnem peccatorum Deum saepissime offendimus et poenas divinas MULTIPLICAVImus, credamus per DIVISIOnem sanguinis Christi nobis SUBTRAHI omnes REGULAS FALSI.

8.

Grammatisches Räthsel.

Sunt oculos clari qui cernis sidera tanquam:
Dico grammaticum, versum qui construit istum.

9.

Musikalisch-astronomisches Räthsel.

In ♂tis ♀risque acie  esse voluptas
Fertur: crux  luxuries.

10.

Theologisches Räthsel.

Si publicanus es, potes fieri evangelista;
Si persecutor es, potes fieri apostolus;
Si latro es, potes fieri colonus paradisi.

11.

Leseräthsel.

——— pit — rem, — tem — pit ——— rem.
Qui ca — uxo — li — ca — atque dolo —
——— ret — re, — te — ret ——— re.

12.

Leseräthsel.

Qu — an — di — tri — fu — stra —
— os — guis — rus — sti de — nere — vit.
H — san — mi — Chri — vul — la —

13.

Leseräthsel.

H	j	Au	c	st	t	hon	
ic	acet	gustus	umulus	at —	alis	oris?	
D	pl	an	t	f	—	od	
S	r	gr	r	m	s	f	hu
it	ex	ex	apiet	ors	ua	inis	mo.
F	l	n	c	s	t	c	ho

14.

Rebus.

Missos as — locabit — tra.
Jupi, Jupi, Jupi,

15.

Rechnungsexempel.

Pascebat anserum gregem
Perquam facetus rusticus
Campi in virentis area.
  Hujus caballo praepeti
Cum praeteriret pascua
De gente eques non infima:
„Sis salvus — inquit — rustice,
Centumque pastor anserum."
  Huic egit ille gratias
Multam et salutem reddidit,
Sermone sed non rustico;
Aitque: „si plures duplo
Hoc anseres in cespite
Viridi cibarem gramine,
Pluresque dimidio dehinc
Et parte quarta denique

Unumque dictis adderem,
Centum anserum pastor forem,
Ut me salutans autumas."
  Dic, si vacat, lector bone,
Quot anseres ad pabula
Hic rusticus deduxerit?

16.

Guter Rath für Heirathslustige.

Ergo mihi uxorem qualem ducam, anne puellam?
  Haec forsan veniet non satis apta mihi.
An viduam? dominam quis possit ferre tonantem?
  An vetulam? toleret quis patienter anum?
Foecundam? foecunda domum mihi prole gravabit.
  An sterilem? sterilis non decus arbor habet.
An ditem? nihil est magis intolerabile dite.
  An inopem? quid opus ferre valebit inops?
Pauciloquam? non me poterit recreare loquendo.
  Verbosam? mulier res onerosa loquax.
Formosam? variis est subdita forma periclis.
  Deformem? poenam ducere nunquid amem?
Non igitur ducenda uxor, quia foenore tuto
  Apparent socii damna timenda thori.

17.

Praktische Regel für Aerzte und Advokaten.

Dum aegrotus visitatur
Et processus ventilatur,
Cura te accipere;
Nam aegroto restituto
Et processu absoluto
Nemo curat solvere.

18.

Die zehn ägyptischen Plagen.

Prima rubens unda, ranarum plaga **secunda**;
Inde culex tristis, **post** musca nocentior istis.
Quinta pecus stravit; vesicas **sexta** creavit;
Inde subit grando, **post** bruchus dente nefando.
Nona tegit solem, primam necat **ultima** prolem.

19.

Ungalantes Compliment an ein Mädchen Namens Rosa.

Vis te **Rosam** vocari?
Nunc te **Rosam** vocabo.
Peco — **rosa**, sterco — **rosa**,
Squa — **rosa**, & ulce — **rosa**,
Vi — **rosa** es, & vi — **rosa**, †
Hume — **rosa** es, & lab — **rosa**,
Monst — **rosa** es, & to — **rosa**,
Mo — **rosa** es, & scab — **rosa**,
One — **rosa** es, & nit — **rosa**,
Saleb — **rosa** es, & pet — **rosa**,
Umb — **rosa** es, & stup — **rosa**,
Scele — **rosa** es, & prob — **rosa**.
Nunc te **Rosam** vocavi.
Vis te **Rosam** vocari?

† i. e. virum desiderans.

20.

Variationen auf das Sprichwort:

„Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.“

Felix, quem faciunt aliena incommoda cautum.
Felix, quem faciunt aliorum debita cautum.
Felix, quem faciunt aliorum cornua cautum.

Felix, quem faciunt aliorum jurgia cautum.
Felix, quem faciunt aliorum stigmata cautum.
Felix, quem faciunt vulgi mendacia cautum.
Felix, quem faciunt sortis ludibria cautum.
Felix, quem faciunt perlecta volumina doctum.
Felix, quem faciunt conscripta volumina notum.
Felix, quem faciunt verbi solatia certum.
Felix, quem faciunt coeli mysteria mutum.
Felix, quem faciunt virtutum emblemata pulcrum.
Felix, quem faciunt virtutum praemia gnavum.
Felix, quem faciunt purgata piacula mundum.
Felix, quem faciunt animi sua gaudia laetum.
Felix, quem faciunt recti molimina gratum.
Felix, quem faciunt juris dictamina justum.
Felix, quem faciunt peragenda negotia promtum.
Felix, quem faciunt servata silentia fidum.
Felix, quem faciunt tectorum habitacula siccum.
Felix, quem faciunt plumata cubilia caldum.
Felix, quem faciunt plantae medicamina sanum.
Felix, quem faciunt famae praeconia clarum.
Felix, quem faciunt congesta numismata ditem.
Felix, quem faciunt belli conamina fortem.
Felix; quem faciunt regni diademata celsum.
Felix, quem faciunt fortissima moenia tutum.
Felix, quem faciunt fidei fundamina salvum.
Felix, quem faciunt coelestia numina faustum.
Non nostrum, inter nos tantas componere lites:
Claudamus tandem rivos; sat prata biberunt.

Anhang.

Zweihundert Xenien.

1.

Plorat adhuc proles, quod commisere parentes:
Clamabunt E & A, quotquot nascuntur ab Eva.

2.

Ex quo sancta Dei mysteria pandere plebi
Ars facta est, quatiunt varia infortunia mundum.

3.

Stultos quisque duos princeps conservat in aula,
Unum, quem vexet, per quem vexetur et unum.

4.

Horrendae a Jova poenae invadunt regionem,
Cujus vult princeps vi cogere relligionem.

5.

Caetera sit nudus Germanus; si bibat haustum
Vini, stat melior, quam Italus ferro aereque cinctus.

6.

Quam Dominus fecit Christus sterilescere ficum,
Hanc monachi in crepidis gestant fausti ominis, ergo
Scilicet, ut maneant ficulnum et inutile lignum.

7.

Quî fit, quod medicis meliora salaria dantur,
Quam, qui doctrinam juris profitentur acerbam?
Haec ratio est: homines mage amant vitalia membra
Restitui, quam jura dari sacra justitiamque.

8.

Qui frangit, nuce nec fracta vult vescier, atque
In doctis qui non vult libris discere, quique
Vina tenet, parcus nec vult infundere: talis
In claustro monachum debet profiterier atrum.

9.

Est ab amicitia non multum musica distans:
Consonat illa fide, consonat haecce fide.

10.

Juris doctori aut medico verum fateare,
Illius aut hujus si cupis auxilium.

11.

Quando hirsuta foret spinosaque nata puella,
Floreret semper virginitate sua.

12.

Cum populo census duplicantur itemque labores,
Tunc Moses venit et fasce levat populum.

13.

In curru Scortum, Nequam residensque caballo,
In scabie Lendes: aula superba satis.

14.

Dat Galenus opes, dat Justinianus honores,
Sed Moses currit cum sacco per civitatem.

15.

Nil erat injusti: Jacobo jus dedit Esau,
Et Jacob fratri jus dedit inde suo.

16.

Ad Ditis properant currentes atria dites,
Divitiisque suis, ut vitiis, pereunt.

17.

Ut Paris exitium Graecis, urbs inclyta nobis
Continuo mortem aut saeva pericla paris.

18.

Lipsiam, ut et Jenam, si quis sine conjuge linquit,
Sique Witembergam quis sine labe videt;
Tandem Helmaestadium abs colaphis gladiisque voratis,
Is fortunatus jure vocandus erit.

19.

Quaeritur: eccur enim mors sit miseranda misellis
  Martini anseribus nocte statuta? ferunt:
Olim Martinum clamando prodidit anser,
  Idcirco poenam sanciit hancce gravem.

20.

Nomine Trajectum merito Francfurta vocaris:
  Trajicis omne aurum, quod sibi Teuto legit;
Trajicis ad Gallos atque Anglos, nundinae et unae
  Millibus in multis sat docuisse solent.

21.

Juno Jovi, Cypris Vulcano est juncta, Minerva
  Nulli. Cur? quoniam non eget illa viro.
Sicut opes et amor non est sapientia, nempe
  Non decet hancce regi, quae regit ipsa viros.

22.

Harpyiae Strophadas quondam tenuere, sed illis
  Nunc Romae et media nidus in Italia.

23.

Perfidia atque fides in te certavit, Iuda:
  Hanc laqueo litem diluis ipse tuo.

24.

Libertas, carcer, pax, pugna, dolenda voluptas,
  Spes, metus est, fel, mel, seria, ludus, Amor.

25.

Duxerat uxorem parvam Democritus olim,
Quique alios risit, risus et ipse fuit.
„Foemina nulla bona est“, inquit, „cur rideor ergo,
Ex cunctis minimum si mihi quaero malum?“

26.

Lis genuit leges, legum lis filia; vivi
Non sine lite solet, non sine lege potest.

27.

Nulla fides Veneri; levis est interque planetas
Ponitur, haud inter sidera fixa Venus.

28.

A pede quae parvo deduxit bestia nomen,
Non carmen, carnem sed tamen ingreditur.

29.

Poldria cum Greina semper nova jurgia miscet;
Pax apud has non est feminei generis.

30.

Errant in numero Parcarum, Prisce, poëtae:
Accessit conjux nam tua quarta tribus.

31.

Est sacramentum, quod sacra credere mente,
In quo nil sciola quaerere mente decet.

32.

Lenam non potuit, potuit superare leaenam:
Quem fera non valuit vincere, vicit hera.

33.

Dum te nosse cupis, speculum bene consulis, Alba,
Hoc tibi namque umbram monstrat, et inde nihil.

34.

Quae vix argenti poterit prae mole moveri,
Res juste dici mobilis illa nequit.

35.

Sunt, si quid video, causae tibi quinque bibendi:
Hospitis adventus, praesens sitis atque futura,
Et vini bonitas, et quaelibet altera causa.

36.

Quis? quid? ubi? quando? cur? quantum? quomodo? quare?
Ista notanda diu respice, quidquid agas.

37.

Qui semel it Romam, vult istic quaerere nequam,
Qui bis it, hunc reperit, qui ter, secum huncque reportat.

38.

Prosequitur Gallos odio — nec miror — Iberus,
Hoc dum naturam constituisse liquet.
Cum semper soleat gallus cantare, quid inde
Mirum, quod nequeat id tolerare leo?

39.

Non ad Mariam, Petrum Paulumve, sed ipsum
Ad Christum recta perge, precator homo.

40.

Inter potandum tibi vaccarum elige jura:
Illae desistunt, quando bibere satis.

41.

Est homo mortalis non prudens lustra vel octo;
Dum fieri prudens incipit, en, moritur.

42.

Uvas fert vitis triplices: est prima voluptas,
Ebrietas sequitur, numerum sed nausea finit.

43.

Quaeris, in obscura camera cur cuncta videntur
Perversa? in tenebris talia facta patras.

44.

Triginta ante annos qui non fit corpore pulcher;
Nec quadraginta ante annos in pectore prudens;
Aut quinquaginta ante annos fit dives: habebit
De tribus his certe post haec spem tempora vanam.

45.

Uxores, gemmas et pannos tempore noctis
Non eme: tunc harum est facilis deceptio rerum.

46.

Intra centum annos surrexit homo pius unus,
Et tamen hunc voluit tradere Papa neci.

47.

Es formosa procul, prope turpis: ut ergo marito
Grata tuo placeas, non manet ille domi.

48.

Me celebrabo, meum nomen cum nemo celebret:
Sic nomen cuculus praedicat ipse suum.

49.

Cordula cor cordis cordi cor corde ministras,
Excors absque tuo, Cordula, corde vagor.

50.

In loculo inque oculo, vel denique poculo in ipso
— Si nescis — hominis noscitur ingenium.

51.

Omnibus est nomen, sed non est omnibus omen:
Felix, qui veri nomen et omen habet.

52.

Dicitur e coelo delapsum: „γνωϑι σεαυτον“;
Est et vox coelo lapsa: „memento mori!“

53.

In vita dubiam vita corrumpere vitam,
Invitaque catus nil age lege Dei.

54.

Dic dicenda pudens; duc vitae tristia prudens;
Fac facienda studens; fer patienda lubens.

55.

Adam, Simsonem, Loth, Davidem, Salomonem
Femina decepit: quis modo tutus erit?

56.

Quisquis amat cervam, cervam putat esse Minervam;
Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

57.

Quam bene conveniunt festis paschalibus ova!
Cum data pax orbi est, nempe Redemptor ovat.

58.

Edere vult librum, quo famae consulat, auctor;
Mus prior edit opus consuluitque fami.

59.

Cur Isabella gerat semper flabella, requiris?
Fabella antiqua est, cupit illa existere bella.

60.

Quisquis amat, servit; dominatur, quisquis amatur.
Quisquis amat, patitur; quisquis amatur, agit.

61.

Quisquis donabit, nodabit vincula prudens,
Donis, ut nodis, vincula namque tenent.

62.

Perfidus et fidus si credat amicus amico,
Falsus erit bonus hic, falsus eritque malus.
Fallitur, haud fallit falsus; non fallitur imo,
Sed fallit falsus, hic malus, ille bonus.

63.

Dum vetula es rugosa, cupisque puella videri,
Non vestes studeas, sed renovare cutem.

64.

Venturum video parvo post tempore Wahlum,
Praevius illius jam quia nasus adest.

65.

Verus amicus avet, quod avet quoque verus amicus.
Id, quod amicus avet, nullus amicus avet.

66.

Triginta libris onerat studiosus asellum;
Est asinus major, fert tamen ipse nihil.

67.

Contra fas legem sibimet posuere bibones,
Ponere quod leve vas debeat esse nefas.

68.

Vincuntur validi bello cur? nempe ducati
Deducunt magno saepe valore duces.

69.

Pristina non curat, quamvis pretiosa recepta,
Semper amat praesens atque novum recipe.

70.

In cerebro posuit merito sapientia sedem,
Nam Jovis ex cerebro nata Minerva fuit.
Ex pedibus Bacchi sic nata podagra videtur,
Nam pro sede sibi vindicat illa pedes.

71.

Mordaces si quis vetulas reputaverit, errat:
Latrant, non mordent, cur? quia dente carent.

72.

Coeca Themis libramque tenens cur pingitur? ut, nil
Respiciens, quod fas ponderet, atque nefas.
Vix ego crediderim: claudit sua lumina juri
Saepius, et librat munera missa sibi.

73.

A peto derivat felix anagramma poëtam,
Nam plerumque petens esse poëta solet.

74.

Dura sonans nostri vox est Actaeonis: „Hui Sau!"
Quando feri spumas hasta lacessit apri.
Num pater hirsutus quondam venator Esavus
Forte, crepans „vae sus!" has tulit ore minas?

75.

Curia Romana non quaerit ovem sine lana.
Roma manus rodit; quod tollere non valet, odit.

76.

Tempore felici multi numerantur amici:
Cum fortuna perit, nullus amicus erit.

77.

Quidquid habent Italus, Batavus, Brito, Gallus, Iberus,
Transit ad Almannos quo — velut à la — modo?

78.

Id cum justitia commune, Johanna, teneto:
Quando cibas porcos, cuique suum tribue.

79.

A praeit, E sequitur, praecedit Adamus et Evam,
Conveniente vel his ordine literulis.
Ordinis impatiens mox istius, Eva reclamat:
E praeit, A sequitur, nomine teste meo.

80.

Quid cum grammatica mihi? pastor barbarus inquit:
Dat Postilla mihi, Biblia datque cibum.

81.

Magnificos titulos hominum cur quilibet ambit?
Titillant tituli, quilibet ergo cupit.

82.

Emtor ut accurrat, serto vinarius ornat,
Forficibus sartor, tonsor at aere fores.
Virgo procum allectans, tunicae vaga syrmata pandit:
Vendibiles merces extera signa probant.

83.

Cur pulex generis proponitur esse virilis,
Cum muliebre magis mordeat ille genus?
A potiore suum si ducunt nomina nomen,
Femineum pulex possidet omne genus.

84.

Qui bibit, ut fundo nec gutta supersit in imo,
Huic parvo nullus tempore fundus erit.

85.

Aurea dum captas et gemmea munera judex
Accipis, heu certe magnus es accipiter.

86.

Magnates vatum magnetes jure vocantur:
Semper ad hos vatum tendere Musa solet.

87.

Auritus quo sim, venias auratus oportet:
Aurum aurem atque auram conciliare valet.

88.

Mos vim praegrandem, mors vim simul obtinet amplam;
Parendum est mori, lex quoque fixa mori.

89.

Lady vocant Britones generosam corpore Nympham,
Aemula quod Ledae praebeat Angla decus.

90.

More canis latras; blandiris more canino:
Sic cynoglossa tibi est, sic cynosura tibi.

91.

Fama refert patri: peregrina filius urbe
Quod spretis Marthae flagret amore libris.
Taliter hinc scribit nato pater: „optime fili,
Quid tibi cum Martha! charta sit apta tibi.“

92.

Accusativus bonus est et fertilis actor,
Huic procurator quando Dativus adest.

93.

Barbara ducta tibi? jam ne rhabarbara poscas,
Purgabit choleram nam satis illa tuam.

94.

Astra mathesis amat; Marti fera castra probantur;
Rostra placent nautae; rastra colonus habet.

95.

Femina dum plorat, dum rusticus ebrius orat,
Dum lusor jurat, nihil hic devotio durat.

96.

Si fueris quarum divisor particularum,
Hanc discas artem: „majorem sumito partem.“

97.

O dives, dives, non omni tempore vives,
Fac bene, dum vivis, post mortem vivere si vis.

98.

Ebrius atque satur his modis, ecce, vagatur:
Hic canit, hic plorat, hic est blasphemus, hic orat,
Hic est pacificus, hic est nullius amicus.
Hic saltat laetus, hic est sermone facetus.
Hic loqui nescit, hic cespitat, ille pigrescit.
Hic est clamosus, hic est verbis vitiosus.
Disputat hic, ille currit per compita villae.
Nunc servit Veneri, somno vult ipse teneri;
Nunc vomit atque vorat: sic Bacchi turba laborat.

99.

Vultus fortunae variatur imagine lunae;
Crescit, decrescit, in eodem sistere nescit.

100.

Non orat semper stans intra templa frequenter,
Sed quoque lascivos interdum quaerit amicos.

101.

Audio sic dici: quod semper sunt inimici
Doctus et indoctus, cibus est cui non bene coctus.

102.

Nobilis es atavis, tritavis quoque nobilis, Anna,
Sed non es proprio nobilis, Anna, patre.

103.

Vir bene vestitus pro vestibus esse peritus
Creditur a mille, quamvis idiota sit ille.
Si careat veste, nec sit vestitus honeste,
Nullis est laudis, quamvis sciat omne, quod audis.

104.

Si bene barbatum faceret sua barba beatum,
Nullus in hoc circo queat esse beatior hirco.

105.

Post sumtum vinum loquitur mea lingua latinum:
Cum bibo bis, vel ter, sum qualibet arte magister.

106.

Luce quidem dignos non arbitror esse libellos;
  Igne tamen dignos arbitror esse tuos.

107.

Vinum subtile facit in sene cor juvenile;
Sed vinum vile reddit juvenile senile.

108.

Maximus in morbis medico promittitur orbis:
Mox fugit e mente medicus, morbo recedente.

109.

Pro patria sit dulce mori licet atque decorum,
  Vivere pro patria dulcius esse puto.

110.

Daemon languebat, monachus bonus esse volebat;
Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.

111.

Uxor, equus, vestis et calciamenta, inhonestis
Dum conceduntur, cum damno restituuntur.

112.

Quam bene conveniunt inter se versus et auctor!
Claudicat hic numero, claudicat ille pede!

113.

Dum clericus plattam ponit, monachus quoque cappam,
Et virgo sertum, vitiosa esse omnia certum.

114.

Per se stare viri possunt; his adjacet uxor:
Ad genus et casum se gerit illa viri.
Vir substantivum est, adjectivumque fit uxor:
Aptaque syntaxis fit sociale jugum.

115.

Regibus atque coquis positum jus semper in armis:
Armus jura coqui dirigit, arma ducis.

116.

Cum ventri vivas, falso vocitare sacerdos;
Verum jure sacer bos vocitandus eris.

117.

Suscipe rem nullam, fueris si viribus impar;
  Nam cito captus eris, si minus aptus eris.

118.

Ex patria per agros i cautus, et entia disce
Extera: sic crescens venit experientia rerum.

119.

Obtinet is palmam, palmam qui munere replet;
  Hoc e re fuerit, si gravis aere venis.

120.

Durabit Virtus Bellis In Saecla Triumphis,
  Et Jus Non Nervos Almaque Rura Regat. *)

*) Nach den Anfangsbuchstaben: „Du bist ein Narr."

121.

Cornutus modicum corneti munere distat:
  Hic vexilla manu, fronte sed ille gerit.

122.

Flora, Ceres Bacchusque regunt tria jugiter anni
  Tempora: cui superest quarta regenda Deo?
Flora praeest veri; Cereri committitur aestas;
  Autumni Bacchus dux, hiemisque Venus.

123.

Nullus in hoc mundo, quando caret aëre, spirat;
  Nullus et aere carens divite sperat homo.

124.

Astronomi Venerem, Veneres et rhetoris ambi,
Sed fugias Venerem, quam procus ambit iners.

125.

A sene donatur radians adamante puellae
Annulus, ut gemmâ concilietur amor.
Respuit hunc virgo verbis cum talibus: „opto
Abs adamante capi, non adamante capi."

126.

Templa forumque fidem laudant: laudabilis illa,
Si bene salvat, et haec, si bene solvit, erit.

127.

Margretae bini modo dentes ore supersunt,
Non tamen est mitis Margaris illa bidens.

128.

Propositum discas doctrinae in codice pensum:
Codice si disces, podice salvus eris.

129.

In Sicula crescit vinum generosius ora,
Quod Christi lacrymas dicere vulgus amat.
Hoc cum Teuto merum primum cupido ore bibisset,
Nomina tam dulcis quaesiit ipse meri.
Audiit, hanc „lacrymas Christi" signarier uvam.
Tum vir suspirans talia verba dedit:
„O bone Christe, tibi dulcis quia lacryma fluxit,
Cur nostra in patria non lacrymatus eras?"

130.

Principium dulce est, at finis amoris amarus:
  Laeta venire Venus, tristis abire solet.

131.

Si latet in vino verum, ut proverbia dicunt,
  Invenit verum Teuto, vel inveniet.

132.

Cum rabulam diris laceraret Temnio verbis:
  Quid rabidus latras, replicat ille, canis?
Mox ait hic: latro, quoniam te cernere, latro,
  Contigit, officium credis id esse meum?

133.

Accipit oblatum medicus, dare non solet aurum;
  Pharmaca dat medicus, non solet accipere.

134.

Juris prudentes prudentes jure vocantur,
  Tam bene cum studeant provideantque sibi.

135.

Ne tua sit posthac, Bithynice, cana senectus,
  (O te felicem!) calva juventa facit.

136.

Quae pictas geritis facies, vos jure potestis
  Dicere cum Flacco: „pulvis et umbra sumus."

137.

Cantabunt reduces coram latrone clientes,
Semper enim vacuus currit ab urbe cliens.

138.

Ut vivant alii quoque post sua funera, libros
Scribunt; tu scribis, ne moriare, tuos.
Scilicet haud curas, momenti ingentis ut hi sint,
Ingenti modo sint utilitate tibi.

139.

Quintillus cur nil dat amico? donat amicae
Omnia, cui primum se, sua deinde dedit.

140.

Res, non verba petunt nuptae, non nomina; da res,
Gratius est, quam si carmina mille dares.

141.

Accusaretur cum coram praesule Cajus,
Confessus bigamum seque professus ait:
Unius uxoris vir episcopus esse jubetur,
Ergo licet laïco nunquid habere duas?

142.

Quaesitum est „qualis sit Toppius?" audiit Echo
Et, velut oraclum, reddidit illa: „pius!"

143.

Egregius non sum vates, tamen e grege vatum:
E grege tu vatum non es, at egregius.

144.

Cypride non alia est meliori jure planeta
  Stella, potest nullo namque manere loco.
Sed vaga per coelos et terras mater amoris
  Curritat, et fieri nullibi fixa potest.

145.

Una salus sanis, nullam potare salutem,
  Non est in pota vera salute salus.

146.

Bellum, pax rursum: vitia haec in amoribus insunt,
  Se comitantur enim semper Eros et Eris.

147.

„Sic — inquit — petitur coelum? sic itur ad astra?"
  Ascendens furcam fur Labienus ait.

148.

Quae velit ancillam concedere nupta marito,
  Res est hoc nostro tempore rara, Sara.

149.

Anna lutherano nubens papana marito,
  Ansam ut dissidii tolleret omnis, ait:
„Jurgia ne pacem perturbent ulla futuram,
  Tu mihi sis facilis, non ero dura tibi:
Arbitrii libertatem mihi credito, eritque
  De reliqua tecum lis mihi nulla fide."

150.

Stultitiae laudem scripsisti primus, Erasme:
Indicat ingenium stultitia ista tuum.

151.

Tam potabile si foret aurum, optabile quam sit,
Quanta tuus venter aurifodina foret!

152.

Ferrea cista auri custos tibi, ferrea porta;
Ferrea tota domus, ferreus et dominus.

153.

Jam septendenos ageret cum rex David annos,
Fovit ei gelidum pulchra puella latus.
Cui ne dissimilis tanto videare prophetae,
Duxisti juvenem, jam, Theodore, senex.

154.

Plurima degustat stomachus, nil concoquit aeger:
Sic tu scis, fateor, multa, nihilque sapis.

155.

Serpentes, nantes, gradientes atque volantes:
Hos, has omnes, haec omnia vincit amor.
Hic, haec, hoc: nummus, regina pecunia et aurum,
Sunt tria, queis vincens omnia cedit amor.

156.

Sunt unum vir et uxor, erant duo corpora; at unum
Corpus erant, duo sunt filius atque parens.

157.

Hanc volo, quae facilis sit amari, eadem sed amare
Difficilis, pulchro corpore, mente bona.
Rivales in amore volo; mereatur amorem
Multorum, quod amo, nil ego solus amem.

158.

Est in evangelio, verum sine nomine, Dives;
Pauper at aeternum, Lazare, nomen habes.

159.

Iratam haud potuit Junonem flectere verbis
Jupiter ipse, ullis vel mitigare modis.
Et tu, Batte, tuam vis cogere, stulte, maritam,
An temet credis plus quoque posse Jove?

160.

Theiologis animam subjecit lapsus Adami,
Et corpus medicis, et bona juridicis.

161.

Trita magis juris, quam justitiae via, quamquam
Juris iter longum, justitiaeque breve est.

162.

Caja virum lugens et fletu lumina tingens,
Jurat, se nulli nubere velle viro.
Lintea depromens, ferialia tegmina scindit,
Sed tamen et parco forfice Caja secat.
Quaerunt: „cur parcat?" repondet: „parte relicta
Interulam ut quondam sponsus habere queat."

163.

Stulta haec invidia est, cui cuncta recentia sordent,
Invida stultitia est, cui nova sola placent.

164.

Ambulat ansatus totâ dum Sextius urbe,
Ansam ridendi civibus ille dedit.

165.

Est invicta simul, simul est Germania victa:
Hanc uni, vincit; divide, victa jacet.

166.

Sol Italis mas est, Germanis femina; quare?
Illis fit calidus, frigidus hisce, patet.

167.

Vis, sit adulterium non dignum morte, sacerdos? [1])
Haud mirum; conjux est tibi nulla: sapis.
Vis, ut adulterium plectatur morte, minister? [2])
Haud mirum; conjux est tibi bella: sapis.

[1]) Der katholische, [2]) der protestantische Geistliche.

168.

Servus habet rubeos, nigros dominusque capillos:
Cur? hic ficticios possidet, ille suos.

169.

Si sit nobilior, qui se docet esse priorem,
Atque suum reliquis priscius esse genus:
Jure patent asinis canibusque palatia regum,
Adamo citius quos liquet esse satos.

170.

Officium debet judex impendere gratis;
Sed noster judex „gratis“ putat esse Dativum.

171.

Omnia quod, Leonora, putant te vendere, falsum est,
Nam faciem, tibi quae caetera vendit, emis.

172.

Uxorem, PICTOR, ducis duplicasqe laborem:
Pingere namque die, fingere nocte potes.

173.

Non male cum medico confertur spongia: lympham
Dum bibit haec, aurum dum capit ille, juvat.

174.

Omnia cum possint expleri, tempore nullo
Expleri possunt foemina, flamma, fretum.

175.

Plurimus in coelis amor est, connubia nulla.
Conjugia in terris plurima, nullus amor.

176.

Pharmaca das aegroto, aeger tibi porrigit aurum:
Tu morbum curas illius, ille tuum.

177.

Saepe sitire solent pennam calamumque ferentes:
Hos mare, fert illas anser, uterque madent.

178

Pro signo mortis servire memento tabacum:
Sic cinis et fumus, pulvis et umbra sumus.

179.

Fur minor in furcam, salvis majoribus, exit;
Supra majores est minor ergo suos.

180.

Sicut teutonicus corpus fovet undique fornax,
Celticus at contra solum de fronte caminus:
Sic est Germanus verax et fidus ubique,
At Gallus coram bonus est, sed retro malignus.

181.

Vox amor est verbum, simul est variabile nomen,
Declinare potes, sed non conjungere tuto.

182.

Me solum veteres asinum dixere beatum,
Quod dorsum licuit supposuisse Deo:
Vos etiam video socios nunc esse beatos,
Quod vos magnatum saepe cathedra ferat.

183.

Unâ litterulâ quia musca et musica differt,
Rarus ab his vacuus musicus esse solet.

184.

Litera sola facit, Mars ut sit longior arte,
Sed non doctorem litera sola facit.

185.

Juristis medicisque vetus super ordine lis est,
  Quis prior illorum, posteriorve foret.
Sed jurista tenet certam, me judice, dextram,
  Flectere nam dextre cuncta sinistra potest.

186.

Quod datur in mundo vacuum, qui credere non vis,
  In loculo quereris cur nihil esse tuo?

187.

Filia lex litis: bona filia, pessima mater.
Filia lis legis: mater bona, pessima nata.

188.

Ulceribus, Galene, vales tantummodo nostris.
  Stultitia nostra, Justiniane, sapis.

189.

Si, quoties peccant, dextri effodiantur ocelli,
  Mundus in exiguo tempore luscus erit.

190.

Quaelibet abscindi pars corporis aegra jubetur:
  Excipiunt medici theiologique caput.

191.

Laudatur vinum simplex, cerevisia duplex:
  Est bona duplicitas, simplicitas melior.

192.

Influit in fiscum collecta pecunia, sicut
   Undique flumineas imbibit aequor aquas.
Nec fluit ex fisco dispersa pecunia, sicut
   Non maris in fontes versa recurrit aqua.

193.

Est homo sicut humus, supra se tollitur ipsum:
   Mente superbit homo, monte superbit humus.

194.

Ecclipsin raro patitur Sol, Luna frequenter.
   Est magis ad lapsum femina prona viro.

195.

In coelo solem semper comitatur euntem;
   In terrâ lucem cur fugit ergo Venus?

196.

Extremo queritur Christus de tempore, tanquam
   Nulla sit in terris invenienda fides.
Atqui nunc hominis veniat si filius, ecce,
   Majorem inveniat, quam velit esse, fidem.

197.

Dicta fuit mulier quasi mollior, est tamen Eva
   Non de carne sui sumta, sed osse viri.

198.

Pix, pax, fex, fax, lex, lux, nex, nix, nox quoque, styx, strix,
   Et rex et grex et crux habet ipsa crucem.

199.

Morbus ubi nullus, nulla est medicina, Noroni;
Nullus juristis est sine lite locus.
Quid facient ergo medicinae et juris alumni
In coelo? nullus forsan utrisque locus.

200.

Scit procurator pro se curare, clientis
Ut advocatus advocare nummulos.

Inhaltsverzeichniß

und

Auflösungen.

199.

Morbus ubi nullus, nulla est medicina, Noroni;
  Nullus juristis est sine lite locus.
Quid facient ergo medicinae et juris alumni
  In coelo? nullus forsan utrisque locus.

200.

Scit procurator pro se curare, clientis
Ut advocatus advocare nummulos.

Inhaltsverzeichniß

und

Auflösungen.